



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Metropolis Salisbvirgensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

**Hund, Wiguleus**

**Monachii, 1620**

Sabionensis Nunc Brixinensis Episcopatus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13553**

# SABIONENSIS NVNC BRIXINENSIS EPISCOPATVS.

**S**ABIONA Noricorum, in Tyrolensi Comitatu sita, inter Oenipontem & Bozanum, vbi olim fuit sedes Episcopalis; translata postea Brixinam per sanctum Albuinum Episcopum, licet Iohannes Auentinus lib. annalium 5, folio 516. ponat, Anno Domini 1038. Heruicum, Sabonæ Noricorum Episcopum Brixinam, quæ inde decem millia passuum distat, migrasse, id oppidum mœnibus cinxisse; posthac Brixinensem Episcopum dictum, qui antea fuerat Sabionensis, Sabionam, Germanicè *Seben*. Huius nominis fuit aliquando in Comitatu Tyrolensi antiquissima, Nobilis ac celebris familia de *Seben*, sine dubio à Sabiona ortum duceus. Nam & huius Episcopatus Pincernæ fuerunt, qui in Osvaldo ultimo, Anno domini 1465. defecerunt, vt infra dicitur.

EXTARE horum Episcoporum Catalogum pluribus in locis mancum & partim integrum testatur Christophorus Wilhelmus Putschius, Guilielmi Putschij olim apud Oenipontem regij Secretarij filius, vir historiarum, præsertim Tyrolensium valde studiosus ac diligens; cuius extat opus Oeniponti manu scriptum de annalibus Tyrolensibus, at hoc quoq; mancum & imperfectum, vt puto, ob immaturum eius obitum, & ideo non publicatum; quo tamen hisce in Episcopis multum sum adiutus. Postquam verò hos Brixinen. Episcopos plane iam absolueram, venit in manus meas prædictus Catalogus Brixinæ à Donato Fetto Collegiatæ Ecclesiæ ibi Canonico collectus ac nuperrimè editus; ex quo, quæ magis digna ac necessaria sunt visa, infra putauit inferenda. Iudicium sit penes lectorem in his, quæ non concordant.

EPISCOPATVM hunc primo sub Cassiano circa Annum 360. ceceptum; postea verò secundario ac ritè institutum inuenio à Theodone tertio, Duce Bavarie, qui primus cū filio Theodoperto ac fratribus, † Diepoldo & Ottone, Christianam religionem accepit, & cum iisdem à S. Ruperto baptizatus est, circa Annum Domini 550. vel 560.

TUNC enim per Principes Bavarie, autore diuo Ruperto, plæraq; Templi, Monasteria ac Episcopia instituta sunt, inter quæ etiam Sabionen. cùm eo tempore tota illa Montana regio, ad Athesim ac Oenum sita, ad Ducatum Bavarie pertineret.

**S**ANCTVS CASSIANVS † in diuinis literis egregiè versatus, ac vitæ sanctitate conspicuus, Sabionam vrbe Germanicè in Alpibus Tyrolensibus † iuxta Hifacum fluiuium veniens. expulsa ibidem gentilitate, homines ad Christi fidem conuertit, sacro fonte abluit, ac ædificata ibi in honorem Dei, Matrisq; Virginis Mariæ Ecclesia, primus ibi Episcopus à Metropolitano suo Fortunariano seu Fortunato, Patriarcha Aquilegensi, cui tunc temporis suberat, iam verò Salisburgensi Archiepiscopo, ordinatur ac consecratur bonus ac fidelis Pastor, & vallis illius Apostolus, & hoc circa annum Domini 350. quàm diu præfuerit, ignoratur. At à Patriarchis Aquilegicis. † primordia sua hanc Ecclesiam Sabionensem accepisse satis constat. Expulsus deinde à Paganis, Romam peregrinationis causatendit, vbi ad vrbe fori Cornelij iuxta Bononiam sitam, quæ nunc Imola dicitur, venit, fidem Christi docens, pueros vt Ludimagister instruens, ac simulachrorum cultum deuouens; tandem à persecutoribus fidei Christianæ Martyrio coronatus est, stylis discipulorum confossus sub Imp. Iuliano Apostata

stata, qui fidem Christi docere seueriter prohibuerat, circa Annum 365. ibidem sepultus: De cuius Martyrio Prudentius in libro peristephanon ante Annos penè 1200. elegantissimum Hymnum scripsit: Et in vetustissimo quodam manu scripto libro tota ipsius vita & mors luculenter describitur, vt patet ex his versibus rei non arti accommodatis:

*Vox patris almiuoma Christum docet in Sabiona  
Immola crucifixum graphus sic immolat ipsum.  
Nam quem Sabiona primum predicatorem recepit,  
Hunc Immola diris vulneribus Christi Martyrem fecit.*

DE hoc item scripsit librum Petrus Damianus, Card. Hostien. circa Annum 1055. Teste Trichemio, Item Petrus de Natalibus Venetus, Episcopus Aquilegien. in vitis Sanctorum.

MEMINIT quoq; Volaterranus in Antropologia, Obiit idibus Augusti, quod die festum ipsius per totam Diocesim Brixinam. † solemniter peragitur.

3. **SINGENVINVS** † secundus Episcopus Sabionen. vixit circa Annum 595. Nam ciuitas Sabionen, post discessum S. Cassiani à gentilibus depopulata, deinde per Hunnorum incursiones sub Attila Rege funditus excisa & solo equata, medio tempore vsq; ad hunc Ingenuinum sine Rectore ac Episcopo fuit. Meminit huius Episcopi Auent. lib. 3. fol. 266. qui eum contemporaneum S. Ruperti dicit, ac in sua vulgari interpretatione *Genawein* vocat. Restaurata itaq; & vrbe & Ecclesia Sabionen. per Ingenuinum, assensu ac ope Theodoni 3. Ducis Boiorum primi, ad fidem Christi per S. Rupertum conuersi, factus est Episcopus ac Pastor huius Ecclesie (secundus, ab Helia Patriarcha Aquilegien. Metropolitanatum temporis consecratus.

INTERFUIT hic Episcopus Synodo Mariana, in qua Seuerus Patriarcha Aquilegien. reuocato errore Manichæorum, receptus est in gremium Catholicæ Ecclesie. De quo Paulus Diaconus de gestis Longobardorum, lib. 3. cap. 12. latius; Iohann. Candidus in commentariis Aquilegien. lib. tertio; frater Leander in descriptione Italiae sub foro Iulio, &c.

Hic Ingenuinus Episcopus vir sanctus, obiit Non. Feb. Sabionæ, ibidem sepultus in Ecclesia à S. Cassiano constructa. Translato autem postea Episcopatu Brixinam, vnà & ossa diui Ingenuini Episcopi ac Confessoris illuc translata, vbi in hodiernum diem miraculis clarus quiescit, in numerum Sanctorum relatus, cuius memoria eodem die obitus sui in Ecclesia celebratur, vnà cum suo post multa secula Successore, diuo Albuino Episcopo. †

1. **CONSTANTIVS** † & Præconius, aliàs Procopius, Sabionenfi populo verbum Dei prædicarunt, eo tempore, quo diuus Haymeranus Ratisbonensibus circa annum 645. Auent. in prædicto lib. fol. 276. Catalogus prædictus † S. Constantio subiungit alium S. Constantium quartum in ordine, & Præconium facit quintum.

6.7. **VRSVS** & Pigencius, aliàs Piennius, Episcopi Sabionen. & verbi Dei Prædicatores, circa annum Domini 650. vsque ad annum 700. Auent. fol. 281. Post hos ponit Catalogus impressus in ordine.

8. **PROIECHVS.**

9. **MATVRNINVS.**

10. **MARCELLVS.**

VALERIANVS.	11.
AGNELLVS.	12.
ANRIHANVS.	13.
ANTHONIUS.	14.
LAVRENTIVS.	15.
IOHANNES.	16.

**M**ASTVLO † Episcopus Sabionen. circa Annum 700. Auentinus fol. 283. h. 17. Horum Episcoporum tempora, successiones ac gesta propter vetustatem ignorantur, verisimile est non diu ipsos præfuisse. Hinc à tempore S. Ingenuini vsq; ad S. Albonium 25. Episcoporum successiones traduntur secundùm Catalogum.

**A**LMVS, aliàs Alim, Episcopus Sabionen. † 18. interfuit Synodo Boiorum i. 18. Dingelstingij, per Tassilonem Ducem conuocate, Anno 764. aliàs 773. vel 775. Decreta aliqua huius Synodi Auentinus libro tertio annal. folio 302. breuiter, sed suo Paraphrastico more mutatis verbis refert, cum tam hoc quàm pluribus alijs in locis meo iudicio consultius fuisset, veterum diplomatum, Epistolarum ac decretorum verbagenuina ac autentica vteunque parum elegancia, prout seculum illud tulit, ponere. Nam mutatio verborum sæpenumero sensum quoq; ac ipsam sententiam peruertere videtur, quòd plerosq; doctos viros ac Auentini aliàs studiosos in ipso desiderare audio.

Huius Alim fit mentio, & quidem primo loco in diplomate Leonis tertij, S. Pont. scripto ad Episcopos Bauariæ super translatione sedis Archiepiscopalis, Salisburgum, ad ipsorum instantiam facta, an. Domini 798. de quo supra sub Arnone primo, Archiepiscopo Salisburgen.

**H**EINRICVS 19. Sabionen, Episcopus interfuit Synodo Salisburgen. † ius. k. 19. sub Caroli Magni, sub Arnone Archiepiscopo celebrata, anno Domini 807. Eius decreta de diuidendis Ecclesiarum decimis, censibus ac redditibus refert idem Auent. lib. 4. fol. 356.

ARIBO.	} de his nihil præter nuda nomina extat.	20.
LENTFRIDVS.		21.
ZERITO.		22.

**Z**ACHARIAS † XXIII. Sabionen. Episcopus sub Ludouico Cæsare, Arnulphi filio, ac Iohanne IX. Pont. circa annum 902. magna nominis celebritate vixit; interfuit expeditioni prædicti Ludouici Imp. contra Vngaros, in qua apud Anaspurgium cum Dietmaro Archiepiscopo Salisburgen. Ortone Frisingensi Episcopo & Leopoldo Marchione Austriæ occubuit, anno Domini 907. secundùm Auentinum in annal. libro quarto. folio 480. Amplius de eo nihil compertum est, nisi quòd cum alijs quinq; Episcopis Boiariæ, nempe Diethmaro Iuuauienti Archiepiscopo, Waldone Frisingen. Erckhanbaldo Eichstentensi, Tutone Ratisbonen. Richario Patauien, ipse tertius in ordine, ad prædictum Iohannem S. Pont. Epistolam scripsit, conquerentes in ea de defectione Episcoporum Morauæ ac Sclauorum à sua Diocesi, Episcopo videlicet Patauien &c. & licet nihil obtinuerint; tamen hæc Epistola, quia rara & antiqua Ecclesiastici status in Boiaria cognitione referta, lectu non indigna; cuius copia in archiuis prædictarum Ecclesiarum adhuc extat, & apud Wolfgangum Lazium in lib. 12. commentariorum Reip. Rom. hinc breuitatis causa omissa.

MAIEN-

- m. 23. **M**AIENBERTVS, Episcopus Sabionen. XXIV. Huic confirmat prædictus Ludouicus tertius Imp. priuilegia sua, anno 909. secundum Putschium, †
- n. 25. **N**ITHARDVS Episcopus Sabionen. interfuit alteri Synodo siue Conuentui, Dingolfingij ad Isaram † per Arnoldum Ducem Bauariæ habito atq; in dicto, circa Annum Domini 920. Qui Episcopi huic Conuentui interfuerint, & quid ibi actum sit, refert Auent. lib. 4. fol. 487.
26. **V**VISVNDVS, siue Bisunbertus, XXVI. Episcopus Sabionen. vir doctrina & pietate insignis, tempore Ottonis primi Imp. & Leonis Papæ VII. circa Annum 938.

EXTAT ad hunc & cæteros Bauariæ Episcopos Epistola Leonis Papæ septimi, † cuius tenorem refert Auentinus, libro quarto, folio 490. alijs tamen verbis ac sententijs, quibus in Episcopos ac Clerum pro suo more acerbè inuehitur, cum tamen verba illius Epistolæ autentica, quæ in annalibus Patauiensibus extant, longè aliter sonent, præsertim circa finem, &c. Ibi postremò in eadem Epistola hortatur, vt Episcopi Gerardo Archimystæ Boiorum pareant, atq; Eberhardo Regulo Boiorum officium suum delegat, præcipit vt vicem Pontificis Max. defungatur, Gerardo fautor, adiutor, consultor pro viribus in omnibus adsit, &c. Ita Auentinus. Cum hæc sint Epistolæ verba, nempe Gerardo pareant, cui Vicem nostram in cunctis finibus vestris commisimus, in omnibus quæ ad Ecclesiasticum statum pertinent, ei obedientes & adiutores sint. Præter hæc Eberhardo, Duci Boiorum, nostra autoritate iniungimus, vt præfato Gerardo Archiepiscopo in omnibus auxilium præstet, vt suæ Ecclesiæ status & reuerentia, ac proprius vigor ad integrum culmen & priscum decorem valeat peruenire, &c. Alia sunt hæc verba ac alius sensus, &c.

SVB hoc, siue sequentibus Episcopis, Iohannes tertius, Pont. Rom. nempe Anno Domini 967. Ecclesiæ Brixinen. prærogatiuas quasdam & Apostolicas donationes fecit; quas anno sequenti Otto Magnus Imp. interuentu Adhaidæ Coniugis, ac Ottonis Imp. filij sui, imperiali autoritate confirmauit, &c. Extant diplomata.

CONRADVS quoq; Imp. Salicus dictus, pio zelo Volabrigo, Episcopo Tridentino, Comitatum Tridentinen. obtulit ac dono dedit Anno 1027.

SEQUENTI anno adhuc alios duos Comitatus addens, nempe vallem Venonicam, quam venustam vocant, & ditionem Bulsanen. in perpetuum tenendos.

- p. 27. **R**IPRECHTVS † secundum Catalogum impressum.
28. **S**ALBVINVS. De hoc sancto viro dicuntur pleraque extare verum mutila, ac in nullum ordinem redacta. Miraculis clarus obiit Nonis Febr. Hic primus sedem Episcopalem à Sabiona Brixinam transtulit.
29. **A**DALBERO secundum Catalogum.
30. **H**ERBARDVS Episcopus Sabionen. ciuitatem Brixinam primò muris parum muniuit. Quotus hic numero Episcopus fuerit non constat, sed quinque tantum præsedidit.
- † 31. **H**ARTWICVS † post S. Cassianum primum Episcopum Sabionen. XXXI. Episcopus, vir plenus omni sapientia & virtutibus. Hic, vt supra dictum est, relicta Sabiona, Brixinam migravit, quam totam, vt nunc cernitur, mœnibus cinxit, Ecclesiam S. Michaëlis ædificauit & dedicauit, factus Episcopus an. 1038. Ibidem mortuus ac sepultus infra tumulum beati Hartmanni Episcopi.

ANNO Domini 1041. per totam Boiariam ac Tyrolen. Comitatum ventus vehementissimus in arboribus ac ædificiis maxima damna fecit; hinc magna frugum penuria secuta, Ysacus quoq; & Athesis subito inundantes, irrecuperabilia

bilia penè damna accolis intulerunt, domos, iumenta subito impetu opprimentes, voragine ingentes factæ, viæ publicè ruptæ, vineæ denudatæ vsque ad faxa &c.

PUTSCHIVS dicit hunc Hartvvicum fuisse Comitem Goricensem, † cuius Pater Otvinus Cō. Goricensis, Mater VVickburg, fratres Engelbertus & Volkoldus Leuita, qui fuit fundator Monasterij Moniak in Sunnenberg prope Brunckham ciuitatem, in valle Pustrina ord. S. Benedicti, Soror VVickburg, ac alia VVickburg Sororis filia, quæ prima Abbatisa in Sunnenberg fuit, Anno 1018.

POPPO fit Anno Domini 1046. Episcopus Brixinensis, postea Patriarcha Aquilegien. vir sapiens ac pietatis studiosus, quem Otto Frisingensis libro sexto cap. 33. & post eum Gotfridus Viterbien. libro 17. Popionem vocant, post S. Casianum primum Episcopum Sabionen. 32. per Heinricum tertium Imp. ex consilij decreto fit Pont. Max. Damasus secundus nuncupatus, Anno 1048. Auentinus lib. quinto, folio 533. Hunc Platina Bauarum†, cognomento Baginarium vel Pepon vocatum, ac sedem Apostolicam, nullo Cleri populiue consensu, vt quidam volunt, vi occupasse; Ideo diuina ultione tribus ac viginti diebus tantum præfuisse, atq; à nonnullis inter Pontifices non numerari scribit.

IDEM Sabellicus & quidam alius Sed Hermannus Contractus de eo ita scribit: Sequenti Iulio, Anno nempe 1048. Poppo Brixinensis Episcopus, ab Imperatore electus, Romam mittitur & honorificè susceptus, Apostolicæ Sedis 152. Papa ordinatus, mutato nomine, Damasus secundus vocatur: Sed paucis diebus exactis defunctus, ad sanctum Laurentium extra urbem sepultus est, &c. Meminit eius Palmerius Florentinus in supplemento Chronicorum Eusebianorum, &c. Hic ad Pontificatum summum euectus, donauit Ecclesiæ Brixinen. Caput S. Agnetis virginis & Martyris. Vide ipsum Platinam & Leandrum in descriptione Italiæ, sub foro Iulio 18. regione.

HVIC Popponi, dum adhuc Brixinæ præsideret, prædictus Heinricus tertius † Imper. potestatem dedit in foresta intra certos suos terminos venandi. Exerat diploma, cuius Datum Vlmæ Anno Domini 1048. quo etiam summus Pont. factus est.

ADOWINVS, aliàs Altvinus Boiarius, Sabionen. seu Brixinen. Episcopus, qui antea fuerat Veronensis Episcopus, creatus est Cardinalis à prædicto Damaso, † secundo huius nominis Rom. Pont. prædecessore suo in Episcopatu Brixinen. Anno 1048. In prædicto Catalogo habetur, hunc Altvinum ab Heinrico Seniore Imper. Episcopum Brixinensem factum, à Guelphone Duce patria pulsam, ac in eius locum Burckhardum Marchionem 34. Episcopum substitutum; qui cum octo annis præfuisset, ab Ecclesiæ ministris occisus fuerit cuius rei Putschius non meminit.

INTERFVIT Altvinus Conuentui Boiorum, per Heinricum tertium Imp. Norinbergæ habito, circa Annum 1049, vbi de bello Vngaris inferendo consulatum est, Auent. lib. 5. fol. 534.

ANNO Domini 1080, sub hoc Altvino Episcopo Heinricus quartus Imp. Brixinæ ciuitate Boiariæ vt Otto Frisingen. † scribit. Comitia habuit, vbi 30. Episcopi ex Italia, Gallia & Germania, vnâ cum Optimatum exercitu conuenere, contra Gregorium septimum Pont. De quo Otto Frisingen. lib. primo cap. 1. De gestis Friderici Imper. Abbas Vrspergen. Sub illo anno, nouissimè Iohan. Auentinus lib. 5. annal. fol. 579.

ANNO Domini 1090. Altvinus Episcopus Brixinen. de nouo dedicauit & consecrauit Monasterium Sunnenburgen. in prouincia Carinthiæ, nunc autem Tyrolen Brixinen. Diocesis, ad instantiam Hildegardis, Abbatisa ibi in ordine

ordine quartæ, in præsentia Domini Adalberonis, Episcopi Tridentini, eiusdem Monast. legitimi Aduocati, &c.

34. **HUGO** Episcopus Brixinen. de curia Imper. electus, ac à Berdone Schismatice consecratus, per Conradum Archiepiscopum Salisburgensem deponitur, quòd Heinrico quinto Imper. adhærebat, & in eius locum Reinpertus Monachus S. Petri Salisburgi sufficitur, Auent. lib. 6. fol. 617.
35. **REINBERTVS** siue Reginbertus, Episcopus Brixinen.

**SUB** hoc Altmannus, Episcopus Tridentinus, Capellam in Eppan ad Athesim consecrauit, Anno 1131. Hic Reinbertus concessit atq; dono dedit Abbati seu Præposito Wilthin. Monasterij omnem nostram iudiciariam potestatem, ab Antecessoribus nostris Episcopis vsq; ad nos in territorio Wilthin. vel Hoemarcha deuolutam, scilicet à termino, &c. Ita sonant verba concessionis, &c. Testes per aurem tracti, Arnoldus Comes & Aduocatus in Murich, Hugo & filius suus Hugo in Tauffers, Wilhelmus de Vtenhaim, Landfridus Maginez, Adelhalmus, &c. Actum anno Domini 1140 Subscriptio Episcopi: Ego Reinpertus Brixinen. Seruus, &c.

**IDEM** Reinbertus Episcopus distinxit Parochiam Wilthin. de aliis vicinis Parochiis ac Ecclesijs, pro vitandis altercationibus. Extat ibi diploma in quo Reinpertus Episcopus ponit, Wilthin. Ecclesiam à se vt cunque plantatam, tradens ei quicquid iuris Ecclesia Brixinen. ante hoc intra illos præfinitos terminos in decimis maioribus ac minoribus, in syluis, campis, villis & vicis habuit, &c. ad Monasterij perpetuos vsus, &c. Actum anno 1141.

**IDEM** quoq; pro meliori sustentatione fratrum ibi, de consensu Capituli ac Ministerialium suorum dedit montem Alpium Senders, Item montem Malusinders: Testes Reinpertus Archidiaconus, Wolfherus Decanus, Wifo Archiepresbyter, Canonici Brixinen. Arnolphus Aduocatus de Morich, Reinbertus de Velles, Burkhardus de Sebone, Fridericus & Arnoldus de Rodandis, Ruperus de Reiffenstein, Gotscalcus, Wernherus, Wolftrigel Tageno, Ministeriales Brixinen. Actum anno 1142.

**CONFIRMANTVR** superiores traditiones Reinberti Episcopi, per successorem suum, Hartmannum Episcopum. Obiit hic Reinbertus, Monasteriorum S. Georgij ac Wilthinensis in valle Oeni fundator ac restaurator, eodem anno 1142. Sept. ibidem.

36. **S Hartmannus** in territorio Patauiensi ortus honestis, sed mediocri fortune Parentibus, primò Canonicus S. Augustini ibi, postea à Cunrado Archiepiscopo Salisburgen. Monasterio ibidem præfectus; tertio ad petitionem Leopoldi, Marchionis Austria, nouam ipsius plantationem Monast. Neuburg. in ripa danubij regendam suscepit.

**POSTREMO** ob vitæ sanctimoniam in defuncti Reinberti, Episcopi Brixinen. locum postulatus ac suffectus est, anno 1142. consecratus à Conrado, primo huius nominis, Archiepiscopo Salisburgen.

*Vid. sup.  
pag. 617.  
Ep. 43.*

**INTERFVIT** Comitibus Ratisbonensibus, quibus discordia super Ducatu Bauarie inter vtrumq; Helnicum Vitricum ac priuignum, per Fridericum primū Imp. decisa & composita est, anno Domini 1156. Auent. fol. 633.

**HIC** Hartmannus tetatus est partes Alexand. Sum. Pont. in schismate contra Victorem Pont. De quo extant Epistolæ Frid. primi Imp. ad hunc Hartmannum in lib. 4. Radeuici continuatoris Ottonis, Frisingensis Episcopi, vbi plura de hoc schismate Auent. lib. 6. annal. fol. 637. & fol. 643. Meminit idem Radeuicus de pietate ac sanctitate huius Episcopi, cuius consilio in grauioribus ac seuerioribus negotijs Frid. Imp. vti consueuerit, lib. 1. cap. 14. quem vide.

Huius

HVIUS Hartmanni Episcopi consiliis Nobilis vir, Reinbertus Castellanus Sabionen. & Brixinen. palatij Ministerialis, vir diues ac pius, diuino spiritu ductus, cum vxore sua Christina, nobili Boiariæ, (familix nomen ignotum est) Monasterium Noucellense prope Brixinam, ord. Canonicorum regularium S. Augustini, cuius ordinis & ipse Hartmannus Episcopus in adolescentia fuerat, à primis fundamentis extruxit, nomen ad gratiam S. Mariæ indidit, censibus & redditibus annuis copiose ditauit, Anno Domini 1142.

PRÆFUIT hic beatus Hartmannus Ecclesiæ Brixinen. per annos 23. castissimè ac sanctissimè. Obiit 10. Calend. Ianuarij, Anno 1165. multis miraculis post mortem claruit, præcipuus patronus grauidarum mulierum, sepultus ibidem in medio Cathedralis templi, &c. Catalogus impressus in numero annorum non concordat.

OTTO Comes, frater Berchtoldi Comitis, secundum Catalogum surrogatus est Hartmanno per Frid. I. Imp. Anno 1165. Auent. ibidem. Catalogus ponit hunc post quinquennium abdicasse Episcopatum. 37.

HEINRICVS, huius nominis secundus, Episcopus successit Ottoni, qui Anno Domini 1173. obiit, cui Richerus successit. 38.

RICHERVS Episcopus Brixinen. huius meminit Auent. libro 6. folio 645. & 647. Sub hoc Episcopo, nempe An. 1174. in vigilia Paschæ, penè tota ciuitas Brixinensis igne conflagrauit; quæ vnà cù Templo Cathedrali ab ipsis fundamentis strui cœpta est. Obiit autè hic Richerus Episcopus 11. Junij, An. 1178. an. regiminis sui quinto, sepultus in hospitali inferiori, quod ipse viuus fundauit. 39.

HEINRICVS, huius nominis tertius, Episcopus Brixinensis hunc sæpe citatus Catalogus impressus ponit, ex Præpositura in Berchtolsghaden, suafu Antecessoris sui Richeri, qui spontè resignauit, ad Episcopatum Brixinen. postulatam; deinde consensu Cleri, populiq; Salisburgen. nec non Friderici Imper. in schismate, repudiato Alberto, ad Archiepiscopatum Salisburgen. vocatum, ei tribus annis præfuisse liberè, deinde, cessione facta, ad Brixinensem Ecclesiã rediisse, eidem 18. annis præfuisse, Templum incendio collapsum restaurasse, Canonicorum redditus liberaliter auxisse, elemosynis ac orationibus indefinenter instituisse, ac demùm in Domino obdormiisse. Hæc ex præd. Catalogo, de qua re vide latius suprà, sub Alberto Archiepiscopo Salisburgè. Huius Episcopi fit mētio in diplomate Priuilegij Berchtoldi, Marchionis Andecen. & Berchtoldi Ducis de Meran filij sui, Wilthinensi Monasterio dati super translatione fori ultra pontem (nunc vrbs Inspruckh) in fundū Monasterij eiusq; permutatione auctoritate Domini Heinrici, Brixinensis Episcopi, cum consensu & fauore tam Ministerialium quàm Canonicorum eiusdem Ecclesiæ facta, Item super exemptione telonci ibi, alijs quoque libertatibus ac prærogatiuis eius: Testes sunt ipse Marchio & filius eius, Dominus Degenhardus Præpositus de Dieffen, & eius Capellanus Burckardus, Dominus Wernherus Archipresbyter, & Dominus Conradus Custos de Brixina, Dominus Otto Aduocatus noster eiusdem Ecclesiæ, & Dominus Vdescaicus de Vffendorff, aliàs Vffelndorf, Dominus Bernhardus de VVilhaim, Diemo & frater eius Henricus, Albus VVizide Sliters; hi nobiles, Dominus Rupertus & frater eius, Amilricus de Rifinstain, Rupertus & frater eius Herbrant de Mullen; hi Brixinenses Ministeriales, Dominus Lazarus, Gotfridus, Henricus Sneke, Vdelricus de Bindelsdorf, Conradus Brixinensis, Rudolphus & frater eius Heberhardus de Hochenrain, Fridericus de Schönberch, & Vdalricus de Friuntsperch, & frater eius Gebhardus & Conradus, & Henricus, Sigibocho de Omtas, & frater eius Conradus, Conradus de Bradellen, hi Ministeriales Domini Marchionis, Bernhardus Pheninger Iudex, Henricus Stötner, 40.



Wernherus Sutar, Eberhardus Albertus Cidelar, Moinhalm, Fridericus, Conradus Schöne, hi forenses. Acta sunt hæc Anno ab incarnatione Domini 1180. indict. 13. Sub Imperatore Friderico. Idem Heinricus Episcopus Heinrico Præposito Wilthin. & Conuentui ibidem omnem decimam noualium in nemore, quod Luitasche vocatur, in ius perpetuum tradidit, eodẽ Anno 1180. indict. 13.

ANNO 1181. Idem Heinricus Episcopus dedicauit & consecrauit Altare S. Iacobi in Monasterio Wilthinensi, astante Domino Vdalscalco de Stilnes, & valle Vipiteria, qui singulari deuotione, inter consecrationis solemniam, alodium in loco Flons dicto, & alia quædam bona, per manus prædicti Episcopi, Monasterio dono dedit, ac obtulit. perpetuè tenenda. &c. Vixit Heinricus Episcopus adhuc Anno 1185.

41. **E**BERHARDVS à Truchsen, Episcopus Sabionensis, cui eum per annos 4. benè præfuisse, factus est Archiepiscopus Salisburgensis, Anno 1200. de quo sub illis Archiepiscopis plura.

42. **C**ONRADVS, Nobilis de Rodneck Tyrolensis, Episcopus Brixinensis; hic Conradus Episcopus denuò dedicauit & consecrauit Templum Monasterij Wilthin. Anno 1201.

IDEM postea Anno 1204. dedicauit & consecrauit Monasterium montis S. Georgij in inferiori Oeni valle, item Sacellum in oppido Clusa sub Castro Sabionensi, quod vulgò Hospitale appellatur, fundator illius Sacelli, Anno 1208.

ANNO 1214. Imp. Fridericus secundus Augustæ Rhetorum Comitiam celebrauit, quibus inter alios multos Principes interfuerunt, Conradus Brixinensis & Fridericus à Wangen, Tridentin. Episcopi; & illustris Dominus Albertus, Comes Tyrolensis. Ambo etiam prædicti Episcopi adfuerunt Comitium Nornbergen. per Fridericum secundum, Anno 1216. celebratis. Obiit Anno 1217. vt habent Annales Pataviens. ac præd. Catalogus,

y. 43. **B**ERCHTOLDVS, Comes à Neiffen, Sueuus, post Conradum fit Episcopus. Hic impetrauit à Friderico secundo † Imp. priuilegium & concessione Argentifodinarum, omniumq; venarum metallicarum & salis, quæ in suo sunt Episcopatu, & de cætero reperiri poterunt, cum omnibus iustitiis & pertinentiis suis, possidenda & tenenda: Testes, Fridericus Episcopus Tridentinus, Ludouicus Dux Bauariæ, Hermannus Marchio de Baden, Comes Eberhardus de Helffenstain, Comes Eginus de Vrach, Heinricus & Albertus, fratres de Niffen, Albero & Berchtoldus, fratres de Wangen, Anshelmus de Iustingen, Imperialis aulae Marschalcus, Eberhardus Dapifer de Tanne, Dietho Camerarius de Rauenspurg, Iacko de Trivveshaim. Actum hoc est Anno Dominicæ incarnationis 1218. Datum apud Nurnberg, 4. Calend. Ianuarij, indict. sexta.

Hic quoque vnà cum Ottone Magno, Com. Palat. Burgun. Duce Meraniæ, interfuit Comitium, per Fridericum secundum Nornbergæ, post obitum Ottonis quarti Imp: habitis, eodem Anno 1218.

Hic consecrauit Ecclesiã filialẽ in pago Ombras, prope Oenipontẽ. in honorẽ sanctorũ, Pangratij Martyris, & Zenonis Epi, Anno 1221. Obiit An. 1224. 18. Iulij.

Post huius obitum; nempe 22. Iulij, igne consumpta est tota ciuitas Bozana cum 150. hominibus, sub Comite Vlrico *auf Bten*, de Eschenloe Domino ac Capiteano tum ad Athesim. Ita Putschius annotauit.

44. **H**EINRICVS, Comes à Taufers, Tyrolensis, huius nominis quartus, Episcopus Brixinensis, hunc sæpe allegatus Catalogus planè omisit. Hic vnà cum alijs Episcopis ac Principibus pacem fecit inter Conradũ Salisburgensem, & Hermannum Gurcensem Episcopos, secundum Auentin. lib. 6. fol. 655. Præfuit hic Episcopus Anno 1225. Quo tempore claruerunt hi Nobiles Ministeriales Bri-

Brixinensis Ecclesiæ, Hugo à Tauffers, Fridericus & Arnò de Rodank, Wilhelmus de Felturns, Reinpertus de Sebio, siue Sabiona, Rupertus de Castlruoto, Fridericus de Schònekh, Weraherus de Schenkenberg, Reinpertus Garro, Albertus de Reifchon, Henricus de Aichach, Hartungus de Berg, tres Nobiles de Feltek, Albertus de Voithsperg, Ottocarus à Neuënburch, Fridericus Lythus, &c.

HIC HEINRICVS Episcopus interfuit nuptiis Ottonis Ducis Bauariæ, eum Agnete, Henrici Palatini Rheni filia, Strubingæ per Ludouicum patrem magnificè habitis, Anno 1228.

IDEM quoque interfuit Synodo seu Concilio Boiorum Principum, Lands-huotæ per prædictum Ottonem Ducem celebrato, Anno 1223. † Meminit A. Z. uentin. lib. 7. fol. 667. non expresso illius nomine.

HEINRICVS iste Episcopus in vrbe Rauenna, ex mandato Friderici secundi Imper. Ottoni Duci Meraniæ in feudum concessit castrum sancti Michaelis, Burgum & Comitatum in Pustertal, Item castra seu arces Matraij, Vellenberch, cum aliis feudis, quæ Pater Episcopi in Oeni valle, ac in Pustertal tenuit, vnà cum comitatu in inferiori Oeni valle.

ECONTRA Dux promisit Episcopo forum Inspruckh tradere cum villa Ombras, vel 250. Marcas argenti pro his soluere, propter Aduocatiâ Brixinensem, inter ipsos ac Comitum Tyrolensem decernendum esse: Testes, Tauffers, Schònekh, Felturns, Rodnek, Schenkenberg, Aichach, Porta, Wirtspersch, Fortza, Matraij, Elpach, Walpach, Znerenden, Râsen, Kastlruot, Seben, Aufhofen, Rîschen, Berg, Vilonders, & alij. Actum Anno Domini 1232.

ANNO 1233. Henricus Episcopus consecrauit Abbatissam Sophiam electam in Sunnenburg, &c. Officiales tum, quos hæreditarios vocant, Episcopatus Brixinensis: ARNOLDVS de Rodanek, asiàs Rodnek, summus Camerarius, Fridericus de Schònekh Marschalcus, Nicolaus de Castlruoto Dapifer, Eberhardus de Sabiona Pincerna, &c. quæ familiæ omnes postea defecere, ac aliæ suffectæ, vt in fine horum Episcoporum annotabimus. Sub hoc Episcopo Anno 1234. Idib. Ianuarij ciuitas Brixinens. in cineres redacta, cum ea parte templi Cathedralis, quam Monasterium vocant, eadem clade Sacella Diuorum circumquæque postea miserè corruere.

Hoc anno Otto Dux Meraniæ, dictus Maior, &c. Comitum puincialia habuit in ciuitate Inspruck, quibus interfuere Gerhardus Trid. & Henricus hic Brixin. Epi.

Hoc anno idem Otto forum Inspruck, denuò iure ac priuilegiis ciuitatis donauerat, ac exornauerat, cum à tempore inclinantis Imperij Romani eiusmodi iura ac dignitatem penitus amisissent, vnde versus hi:

OTTO, Meraniæ Princeps, cognomine Magnus,

Inspruck circumdat muris & mœnia fundat,

Tricesimo quarto post annos Mille ducentos.

A nato Christo priuilegia Dux dedit OTTO.

EGNO electus & confirmatus Brixinens. Ecclesiæ Epus. Hunc Catalogus dicitur natum fuisse de prosapia & sanguine Friderici Imp. ac 17. annis præfuisse. Hic Præposito Wilthineñ. ac fratrib. suis potestatem dedit operarios salinæ in Taure, alios in Hallis cõpellendi, vt diebus festis ac sacris ab operis abstinerent, quibus hætenus ex mala consuetudine sine vlla reuerentia intentius instabant, ac pro absolutione, cum ipsis quomodocunq; ne impuniti permaneant, componendi, &c. Testes post Ecclesiasticos, Wilhelmus & Henricus de Aichach, Merbotho, Fridericus Lithusi, milites, &c. Actum Anno Dñi 1244. Extat diploma.

BRVNO, Episcopus Brixinens. Comes de Buelenstern & Kirchperg, filius Conradi primi familiæ suæ, Comes in Kirchperg & Bertha, Com. Goriceñ. & Ty-

roleñ. hic confirmavit distinctionem Parochiarum in Wilthin, Ampans, & valle Stubaij, quondam per Reingerbertum Episcopum Brixinensium factam, de qua supra sub illo Episcopo. Datum huius Diplomatis in Castro Sabiona, Anno Dñi 1250. quarto Calend. Octob. Sub hoc Episcopo vehemens ventus in multis locis Germaniæ, adeoque in Comitatu Tyroleñ. multa ædificia subvertit, arbores euulsit, multos homines oppressit, atque plurima damna dedit, Anno 1253.

INTERFUIT Synodo Viennensi, Anno 1268: secundum Auent. fol. 705.

Hic ex rudibus vetustissimæ urbis, à Brionibus olim constitutæ, oppidum Braunekh, in confinibus Carinthiæ ac Tyrolis, construxisse, ac à seipso denominasse dicitur; cuius Diocesis iurisdictioni in hodiernum diem subiecitur.

DONAVIT Bruno Episcopus, cum consensu Capituli sui, Monast. Wilthinensi Parochiam in Ampans, inter Inspruck & Hall sitam, vnà cum decimis noualium, Anno 1256. Idem eidem dat immunitatem telonci per districtum secularis sui domini, Anno 1260.

IDEM quoque Wilthinensium Monast. confirmavit omnia priuilegia à Prædecessoribus suis data, Anno 1261. Anno 1267. fundatum est Monasterium Monialium in Mariental, nuncupatum Fuldepp, per Vlicum de Freuntsperg, Luitgardam uxorem, Conradum & Fridericum, filios, &c. Ord. S. Dominici.

IDEM quoque Anno 1284. consecrauit nouum Monasterium Stams, fundatum per Meinhardum, Com. Tyroleñ. & Goricensium, & uxorem Elisabetham, Ducissam Bauriæ, &c. Cisterciensium ord.

BRUNO Episcopus obiit Anno 1288. regiminis 39. sepultus ibidem in summo Templo, vir doctrina, morumque grauitate ac pietate conspicuus. Post huius obitum Ecclesia Brixinensium cum tota quasi Diocesi diuersis calamitatibus ac tyrannorum iniuriis oppressa, & ferè ad summam inopiam redacta, vsq; ad tempora Melchioris à Mekhav, Annum scilicet 1489. Quo sub Episcopo ac Cardinale iterum respirare, caputque in altum tollere cepit. Putschius.

47. **HEINRICVS**, generosus liber à Villach, Carinthius, huius nominis quintus, Episcopus Brixinensium. hiciussu Adolphi, Romanorum Regis, Ratisbonensium ciuibus legem Friderici II. Imper. super immunitate Ecclesiastica prælegit, secundum quam & Rex iudicauit immunes esse debere Ecclesiasticos, Anno 1295. Auentinus folio 727. Habetur hæc constitutio in vsibus feudorum incipiens, In die qua de manu, &c.

Sub hoc Episcopo, nempe Anno 1292. Inspruck civitas ferè tota igne perit, cum Meinhardus, Dux Carinthiæ, ac Comes Tyroleñ. ibidem resideret, ac eo ipso die Albertus Dux Austriæ, postea Rom. Rex factus, gener Meinhardi, ad ipsum Oenipontem venisset, in vigilia Paschæ, Auent. lib. 7. fol. 720.

48. **LANDOLPHVS**, Episcopus Brixinensium. Anno 1296. 1297. 1300. Catalogus hunc Mediolanensem fuisse dicit. Medicinæ apprime expertum, à Miansterialibus occisum.

49. **ARNOLDVS**, secundum Catalogum, ac quoddam de hoc nihil extet aliud, &c.

50. **IOANNES**, huius nominis secundus, ex præposito quondam Berchtoldsgaden. Epus Brixinensis factus. Obit Anno 1306. sepultus in noua Cella, prope Brixinam.

51. **IOANNES**, huius nominis tertius, Episcopus Brixinensis, Anno 1309. interfuit Conuentui Principum Bauriæ, Austriæ, Carinthiæ; item Conrad. Archiepiscopi Salisburgen. & quorundam Comitum in Passan habito, Anno 1312. vbi inter eos pax facta & iuramento firmata est, Auent. fol. 741.

HIC EPISCOPIVS, defuncta Domina Aldhaid, Abbatissa Monast. Sonnenbergæ

bergeñ. Domiam Diemuot substitutam de more consecrauit, Anno 1315. Año 1321. grando horribilis apud Bozn, lapides proiecit, sicuti oua gallinarum, perit villa Rentsch. iuxta Bozn, & quædam aliæ.

**A**LBERTVS, Episcopus Brixineñ. primus huius nominis, familiæ de Enna Tyroleñ. Anno 1328. Anno sequenti 1329. Henricus Rex Bohemiæ, Titulotenus, aliàs Dux Carinthiæ, Comes Tyrolis, &c. fundauit hospitale Oeniponti, ante portam seu versus Wilthineñ. Monaster. & dotauit redditibus Marcarum decem Veroneñ. cuius Templum sequenti anno consecratum est. Catalogus ponit hunc Anno Domini 1323. Episcopum factum, ac 13. annis præfuisse, multa bona Ecclesiæ suæ donasse, ac 1. Nouemb. obiisse; substituens huic 53. loco Conradum de Klingenberg Anno 1336. & sequentem Georgium. omittens. Ego Putschio, rerum Tyrolensium ac Brixinensium diligentissimo persecutori plus crediderim, iudicium sit penes lectorem.

**G**EORGIVS, huius nominis primus, Episcopus Brixineñ. dedicauit summum Altare & Chorum Ecclesiæ Hettingen, Anno Domini 1338. Hoc anno locustarum tanta multitudo fuit, vt ferè terram operirent; præsertim in prouincia Tyrolensi ac Brixineñ. vbi hæc calamitas durauit diebus plus minùs 24. Auent. hoc anno priori ascribit, lib. 7. fol. 776.

**M**ATTHÆVS Episcopus Brixinensis factus, Anno 1339. familiæ Conzman, Athesinus Capellanus, Comes Tyroleñ. secundum Catalogum. 54.

TEMPORE huius Episcopi, Anno 1340. ciuitas Oenipontana, incertum casu ne an fraude conflagrauit igne, in pago Wilthinensi nato, 60. homines flamma miserè periisse, memoria literarum traditum est.

CVM hoc Episcopo Ludouicus, Marchio Brandenbergeñ. Dux Bauariæ ac Comes Tyrolensis, filius Ludo. quarti Imp. fecit confederationem contra Meinkardum & Henricum, Co. Görzeñ. qui ei ac vxori, Margarethæ Maultesch dictæ, litem mouebant, super Comitatu Tyrolensi, Anno Doñi 1348. ex registraturis illius Ducis.

Hic Episcopus Matthæus, per Clementem VI. Summum Pont. Auinioni cum 12. aliis grauissimis viris in Cardinalem creatus modestè reuuit, neque titulo illo vnquam vsus est, & hoc ipso anno Iubilæo, Anno 1250. Putschius.

ANNO 1348. ciuitas Meraniæ tota incendio periit, 17. Martij, facta maxima iactura. Ambo hi Principes, nempe Ludouicus Marchio, & Matthæus Episcopus, compromiserunt super quibusdam suis litibus in Henricum de Pöring, Volkartum de Avv, & B. de Gufithaun, Anno Domini 1350.

**L**AMPERTVS, Nobilis à Burn Alsata, Abbas Gengenbacensis, Caroli IV. Imper. Cancellarius & Consiliarius intimus, eius promotione fit Episcopus Brixinensis; vbi cum paucis annis præsedisset, Anno scilicet 1363. fit Episcopus Spirensis, postea Argentinensis, postea Bambergensis, vltimò ad Monast. suum reuersus, ibi moritur. De quo latius Bruschius in Metropoli Moguntineñ. Abbas Trithemius in historia Monast. Hirsaug. sub Anno 1363. Hunc Catalogus planè omittit.

**I**OANNES à Plazhaim, de Schlakavverd Bohemus, quartus huius nominis, Episcopus Brixinensis, Cancellarius inclitorum Ducum Austriæ, Anno 1369. Obiit Anno 1374. Brixinæ, ibidem sepultus. Præfuit 11. annis. Hic in Catalogo loco, 51. ante Albertum Episcopum per errorem est positus, cum numerus annorum huic loco conueniat.

**A**LBERTVS de Enna, Tyroleñ. huius nominis secundus, fit Episcopus Brixineñ. Anno 1373. Alberti primi, Episcopi Brixineñ. ex fratre Nepos. qui obiit Anno 1377. primo Nouemb. hic quoque in Catalogo omisus est. 57.

58. **I**OANNES Schaldesman Lenzburgen. Suevus, I. V. D. Rudolphi quarti, Ducis Austriae Cancellarius aulicus, antea Episcopus Gurcensis, fit Episcopus Brixinensis, Anno 1377.

EODEM ANNO autoritate Pontifici commutauit Episcopatum cum Friderico Curien. Episcopo. Obiit ibi Anno 1389. Sic Putschius, ac Catalogus impressus aliter habet.

59. **F**RIDERICVS, antea Curien. Episcopus, Brixinensis Episcopus factus Anno 1377. Catalogus ponit hunc de Erdinga natum, Leopoldi Austriaci à Svvitensibus occisi Cancellarium, multis virtutibus præclarum, amatorem Cleri, ac quasi speculum omnis pietatis ac honestatis fuisse, laudabiliter præfuisse annis 22. & 10. mensibus; tandem soli Deo vacaturum, Vdalrico de Vienna, Leopoldi iunioris Cancellario, Episcopatum resignasse, ac Anno 1396. in die sancti Viti obiisse, sepultum iuxta altare S. Trinitatis, &c. Numerus annorum non per omnia quadrat.

60. **V**DALRICVS, Episcopus Brixinensis, secundus huius nominis, Leopoldi Ducis Austriae, fratris VVilhelmi Cancellarius, Anno 1396. eidem VVilhelmus Dux Austriae priuilegia dedit, Anno 1402. Præfuit annis 21. Clerum & alios subditos multis exactionibus oppressit, hinc etiam captiuitatem & alias calamitates passus; E contra in elemofynis valde largus, ædificiorum studiosus restaurator, Palatium Episcopale, quasi è fundamentis extruxit, castrum Brunekh insigni ædificio illustrauit. Putschius. Sub hoc Episcopo Leopoldus iunior, Dux Austriae, & Comes Tyrolensis, leges seu statuta prouincialia Comitatus Tyrolen. ad instantiam Statuum restaurauit, *Landordnung* vocant, Anno 1397. ipsis quoq; aliqua Priuilegia suo & statuum suorum nomine dedit, Anno 1404.

ANNO 1416. pax & transactio inter hunc Episcopum Vricum ex vna, Ernestum & Fridericum, Dnces Austriae, & Comites Tyrolenses, fratres ex altera partibus, per Eberhardum Archiepiscopum Salisburgensem, & Ludouicum Ducem Bavarie facta est, super litibus & contentionibus suis, &c.

EODEM quoq; anno, inter prædictos duos fratres grauis contentio orta, Friderico, quòd Joannem XXIII. Pont. per Concilium Constantiense depositum, clam è Constantia abduxisset, per Concilium ac per Sigismundum Imper. proscripto, & omnibus prouinciis suis priuato: Ernestus per prouinciales Tyrolenses euocatus, qui neque Casari neque alteri extraneo iurare vellent, venit, ac Comitatum Tyrolensem in fidem accepit; Fridericus frater, post impetratam absolutionem, domum reuersus agrè tulit, hoc sibi à fratre factum, Comitatus prouincialia de super habita primo Meranie, postea Oeniponti: Post multos tractatus, quibus etiam Vricus hic Episcopus interfuit, cum maior pars Nobiliu cum Ernesto; ciuitates verò ac populares cum Friderico sentirent; tandè cõcordia ac noua diuisio inter fratres facta, in qua Comitatus Tyro. Friderico absolute cessit.

OBIIIT Vricus Episcopus, Anno 1417. 18. Maij, sepultus ibidem ad murum Capellæ omnium Sanctorum versus Sacristiam.

61. **S**EBASTIANVS Stempelius Athesinus, primus huius nominis, Decanus Brixinensis, vir deuotissimus, fit Episcopus, Anno 1417. Præfuit vno tantum anno fidelissimè. Obiit Anno 1418. 12. Calend. Aprilis, ibidem sepultus, sub lapide in medio templi.

62. **B**ERCHTOLDVS, cuius tam patria quàm familia ignoratur, fit Episcopus Brixinensis. Sub hoc Episcopo lacus iuxta Meraniam ciuitatem ad Athesim inundatione rumpitur, partem ciuitatis, nec non hospitale extra muros cum Templo, Sacerdotibus ad Altare stantibus, vnà cum muro ac portis rapit; inter alia infantem in cunis cum insidente fele, infans prope Bozanum tribus millia-

ribus

ribus infra Meranum saluatus est, perierunt circiter 400. homines, factum hoc Anno 1419. die veneris post S. Mauritij, &c.

ANNO 1420. tam calida hyems fuit in Comitatu Tyroleñ. vt die 20. Februarij inciperent florere arbores, die quarto mensis Martij etiam viena: Meminit eiusdē Engelhusius, cuius Chronica hoc anno desinat, secundum Putschium. Ego Chronicam non vidi. Prædictus Berchtoldus, Episcopus Brixinensis, obiit Anno 1427. nono sui regiminis, ibidem sepultus. Catalogus discrepat in numero annorum, ego sequor Putschium;

**V**DALRICVS Putschius, Sueuus ex Werdea, terti<sup>9</sup> huius nominis, Canonic<sup>9</sup> 63.  
Tridētinus & Brixinē. Friderici Ducis Austriæ & Co. Tyroleñ. Cancellarius, fit Episcopus Brixinē. An. 1227. Consecratus per Antoniū Pancerinū de portu Gruario, Cardinal. & Patriarcham Aquilegiē. autoritate, & vice Archiepiscopi Salisburgen. Sede tunc per obitum Eberhardi Archiepiscopi vacante, &c. EODĒM anno Oeniponti natus est Sigismundus, Dux Austriæ, baptizatus per prædictum Episcopum Vdalricum, Compater fuit Sigismundus Imper. cuius etiam nomen sortitus est.

FVIT hic Vdalricus vir pius, doctus, facundus, in rebus agendis prudens, qui optimè præfuit Ecclesiæ suæ decem ferè annis. Dicitur in Catalogo hunc de rebus suis gestis diarium conscripsisse, eius exemplar Brixinæ adhuc extare. Obiit 29. Augusti, Anno 1437. sepultus ibidem in Basilica Cathedrali, in sacellō trium Regum, à se fundato.

**G**EORGIVS, huius nominis secundus, ex valle Stubaij prouinciæ Tyroleñ. te- 64.  
nui fortunæ parētibus oriundus, Præpositus Brixinē. & Canonicus. B. Mariæ Virginis ibidē in ambitu. Alberti Rom. Regis, ac Friderici senioris, Ducis Austriæ, & Comitum Tyroleñ. Cancellarius, fit Episcopus Brixinē. Anno 1437.

SvB hoc Episcopo obiit Fridericus senior, Dux Austriæ, & Co. Tyrolis; Sigismundo eius filio nondum pubere, vt potè qui tum 12. annum ætatis vix attingerat. Tutorem habuit Fridericum Austriacum, seniore dictum, post Rom. Imperatorem. Hic Georgius Episcopus obiit 17. Decembris, Anno 1443. Qui optimè rexit annis 6. redditus Ecclesiæ suæ ampliavit, magnam campanā, quæ sexta dicitur fieri, ac anniuersarium Angariale in memoriam omnium Episcoporum Brixinē. institui curauit, &c. Idem diuersis necessariis ædificiis Ecclesiæ suam ornauit, tumulatus ibidem in medio Cathedralis Ecclesiæ.

**G**EORGIVS, huius nominis tertius, eligitur Anno 1443. Interfuit hic 65.  
Georgius Comitibus, per Fridericum Romanorum Regem, Anno 1444. Norinbergæ habitis. Obiit Viennæ in Decembri, Anno 1444. morte subitanea, Pontificatus sui anno primo, sepultus ibidem in Templo S. Stephani; de cuius ortu & vita nihil præterea scriptum reperitur.

MEMINIT huius Episcopi subitaneæ mortis ac status Brixinensis Episcopatus Æneas Syluius, in Epistola sua 54. vbi eum Georgium vocat. In Catalogo horum Episcoporum fortè propter breuitatem regiminis omisus est, secundum Putschium.

**I**OANNES, huius nominis sextus, Retelius ex oppido Hellel supra Salis- 66.  
burgum, Decretorum Doctor, Canonicus & Vicarius in spiritualibus Ecclesiæ Brixinensis generalis, electus in Episcopum secunda die Ianuarij, Anno 1445. Præfuit vigilantissimè sex annis. Obiit 28. seu vltima Februarij, Anno 1450. Brixinæ, ibidem sepultus.

SvB hoc Episcopo, nempe Anno 1446. Fridericus Rom. Rex. abdicauit tutelam Sigismundi Archiducis, ei que omnes suas ditiones resignauit.

67. **N**ICOLAUS Cufanus, Treuireñ. Theologiae ac I. V. D. vir doctissimus ac celeberrimus, S. Romanae Ecclesiae ad vincula Petri Cardinalis, Catalogus habet Wornatij obscuris ac pauperibus parentibus ortum, &c. cum post mortem Ioannis Episcopi, Canonici concordibus votis, annuente quoque Sigismundo Duce Austriae, Comite Tyroleñ. tanquam Aduocato Ecclesiae, LEONHARDUM Wisnair Tyroleñ. Decret. Doct. Canon. Brixineñ. & Parochum Tyroleñ. Ecclesiae, praedicti Sigismundi Ducis Austriae intimum Consiliarium ac Cancellarium, elegissent Episcopum 14. Martij, Anno 1450.

NICOLAUS quintus, Summus Pont. hunc confirmare noluit, sed illis inuitis praedictum Nicolaum Cufanum Episcopum dedit ac confirmavit: Ex qua re postea plures contentiones & dissidia grauissima inter Sigismundum & Cufanum Cardinalem exorta. Nam hic a Sigismundo Archiduce, aliquam diu captiuus detentus, ille rursus a Summo Pont. excommunicatus est; haec tandem per Fridericum Caesarem transacta & sopita sunt, & Cardinalis ille Cufanus, magnus ingenio, Episcopatum Brixineñ. nihilominus, tametsi a Principe Tyroleñ. grauiter infestatus, partim absens, partim praesens, ad mortem vsq; inuictus animo, Summi Pont. potissimum ope & autoritate fretus, gubernauit.

PRÆDICTVS verò Leonhardus electus ope & intercessione praedicti Sigismundi Archiducis, Anno 1454. ordinatus est Episcopus Gurceñ. vbi cum quinquennio praesedit, obiit Anno 1459.

NICOLAUS hic Cufanus impetrauit à Friderico tertio Imper. confirmationem supraedicti priuilegij, à Friderico secundo sup argenti fodinis dati, & hoc An. 1452.

EODEM anno idem Fridericus tertius Imp. r. Romae viros nobiles, Georgium & Petrum de Latrono Tyroleñ. filios domini Paridis seu Parisij de Latrono Equitis aurati Nobilis quondam ac fortiss. Herois, ob fidelia seruitia, in dignitatem, gradum atque ordinem Comitum sublimauit, castraque ipsorum Ladronum ac Romanum, cum suis pertinentiis in Comitatum erexit, & nomine Comitatus insigniuit, conferens ac inuestiens eos de hoc Nobili feudo, praestito tùm consueto fidelitatis iuramento, nostris, tùm & Imperij sacri, & quorumlibet aliorum in his iuribus semper saluis, &c. Datum Romae, sexto die Aprilis, Anno 1452. Regni nostri 12. Imperij verò primo.

SIGISMUNDVS praedictus Austriae Dux, huic Nicolao de Cusa, Episcopo Brixinaeñ. impignorauit castrum Taufers in Bustertal cum pertinentiis, cum pacto reuisionis intra certos annos, Anno 1456. summa pretij postea Anno 1464. per transactionem aucta est.

EODEM Anno 1464. 12. Augusti in Vigilia S. Cassiani Martyris, primi Episcopi Sabioneñ. seu Brixineñ. obiit dominus Nicolaus de Cusa Cardinalis, & Sedis Apostolicae per Alemaanniam & alias quasdam prouincias Legatus de Latere, Episcopus Brixineñ. Tuderti ciuitate Vmbriae, anno dignitatis Cardinalitiae XVI. Pontificiae XV. aetatis LXIII. cadauer Romam relatum, ac in titulari sua Ecclesia honorifice sepultum, cum hoc disticho.

*Qui iacet ante tuas Nicolaus, Petre, catheras,  
Hoc opus erexit, caetera marmor habet.*

PRÆVIT annis 14. vir hic doctissimus fuit, vt ipsius opera testantur, ac Æneas Syluius lib. 1. de actis Concilij Basiliensis ferè ab initio. De eodem, qui vult, videat Ioannem Auent. in Annalibus fol. 670. 825. 827. 839.

DEFUNCTO Nicolao Episcopo, ad instantiam ac intercessionem Friderici Imper. Summus Pont. Pius secundus, per Rudolphum Episcopum Lauentianum, Legatum Apostolicum, Sigismundum Archiducem, ab excommunicatione, & prouinciam illam ab interdicto absoluit.

GEOR-

GEORGIVS Gollerus Bauarus, huius nominis quartus, Canonicus Brixinen. vita omni probatiss. Senex, communibus votis, ac consensu Sigismundi Archiducis, Aduocati Ecclesie, post mortem Cusani electus est: Hinc graue schisma exortum, cum Paulus, huius nominis secundus, Summus Pont. & Imper. Frider. tertius, vna cum coniuge sua, contra hunc Georgium electum, quendam Leonem à Burekthal in Spaur, Tyrolensem, nobilitate, genere, doctrina, morumque grauitate spectabilem virum, Decretorum Doctorem, Maiestatis Cæsareæ præcipuum Consiliarium, in Episcopum Brixinens. destinassent, & Paulus Summus pontifex Georgium confirmare noller: Econtra Sigismundus Dux, tanquam Aduocatus ac Princeps Tyrolen. vna cum Canonicis Leonem ad possessionem Episcopatus minimè admittèrent. Durauit hoc schisma per septem annos cum dimidio, quibus Ecclesia Brixinens. duos Præsules habuit. His elapsis post multos tractatus, magnoq; pecuniæ interuentu Georgius, repudiato Leone, à Xisto Papa IV. confirmationem Pontificiam obtinuit. Diuturnum ac infelix hoc schisma felicissimum finem sortitum est.

PRÆDICTVS Leo postea restauratæ per Fridericum tertium Imper. Cathedralis sedis Viennensis primus Episcopus constitutus, ac à Xisto Papa quarto confirmatus est, Anno 1480.

SUB hoc Episcopo Georgio obiit Nobilis vir, Osvaldus de Seben Tyrolens. Eques auratus, Episcopatus Brixinens. Pincerna hæreditarius, postremus suæ familiæ, Anno 1465. Quo etiam obiit Georgius Hack de Themafvald, Silesius, Episcopus Tridentinus; in cuius locum electus est IOANNES, huius nominis Hinderbach Hessus, Decretorum Doct. Canonicus ac Præpositus Tridentinus, Friderici Imper. Consiliarius, & apud Sedem Apostolicam Orator, vir & doctrina ac experientia conspicuus.

ANNO 1475. in die passionis Domini, Simon, infans Tridentinus, per perfidos Iudeos Martyrio affectus; Iudei auctores, ac conscij sceleris dignas pœnas luerunt, Simon inter Sanctos relatus, Erecta illi Basilica, pluribus miraculis coruscet, cuius rei plurimi scriptores fide digni meminerunt, Sabellius, Volateranus, Matthias Palmérius, ANDREAS Vega, qui de iustificatione super Concil. Tridentinū doctissimè scripsit, in descriptione & commendatione vrbis Tridentinæ, præfixa operi suo, & decretis illius Concilij; Philippus Bergomas in supplemento Chronicorū; Nauclerus, Munsterus in Cosmographia, omnium verò locupletissimè Ianus Pirrhus Pincius Mantuanus, de vitis Trident. Pontificum lib. 4.

ANNO 1480. 20. Nouembris, obiit Oeniponti Domina Eleonora, Iacobi Scocia Regis filia, Sigismundi Archiducis prima vxor. deuotissima ac piissima fœmina sine liberis, sepulta in Stams Monasterio, in superiori Oeni valle cum aliis Principibus Tyrolensibus.

ANNO 1482. 22. Aprilis; Sixtus Papa quartus Melchiorem à Meckav, Austriacum, I. V. Doct. Præpositum Magdeburgensem, tanquam Coadiutorem & Successorem designatum Georgij Episcopi Brixinens. Sigismundo Archiduci re commendauit.

ANNO 1483. 14. Martij, paulò post meridiem surrexit ventus vehemens; hinc ferè tota ciuitas Botzani ad Athesim, exceptis 15. domibus ac Ecclesia, incendio perit.

ANNO 1487. incepit primum bellum Sigismundi Archiducis, contra Venetos feliciter gestum. De cuius origine & successu, qui plura legere cupit, videat Conradum Wengerum, Brixinens. Canonicum, Item supplementum Chronicorum Philippi Bergomatis, lib. 15. & vltimo.

SABELLIIVM Aeneadis 10. lib. 8. Cardinalem Bembum in historia Veneta, libro primo,

CARIO,



CARTONEM Chronicorum lib. 3. Continuatore Chronici Eusebiani, Iacobum Wimphelingium in Epithomate rerum Germanicarum, cap. 60.

IANVM Pirrhum de vitis Episcoporum Tridentinorum, lib. 5. Lazium in Austria sua, lib. secundo.

ANNO 1489. quo hic Episcopus obiit, aliàs 1490. in Quadragesima Sigismundus, Archidux Austriae, cum liberis careret, Comitatum Tyrolensem, & omnes suas prouincias superiores Maximiliano Regi Roman. consensu FridERICI Imperat. liberè resignauit, qui etiam ipsorum priuilegia atque libertates confirmauit, &c. prima prouincialia Comitum Meroniae habuit, ac ibi regimen seu consilium Tyrolense renouauit.

SIGISMUNDVS autem postea, nempe Anno 1496. quarta Martij, Oeniponti obiit, sepultus in Stams apud suos Maiores. Princeps hic fuit liberalis, mansuetus, pacis, iustitiae ac doctrinae amator, ac singularis Patronus. Sub eo in Comitatu Tyrolensi fuerunt aurea secula. Nam Anno Domini 1448. principio sui regiminis famosissimae ac opulentissimae argenti fodinae in villa Schvartz im Erbsstollen & Falekéstain primò inuenta. Inde vsq; ad tempora nostra ultra aënos centum maximae opes ac diuitiae erutae (irritamenta ut Poeta ait malorum) Vnde Comitatus iste à multis Regno alicui non immeritò comparatus est. Qui de hoc Sigismundo plura scire cupit, videat Austriam V Volfgangi Lazij.

ANNO 1493. obiit Vlricus de Freuntsperg Episcopus Tridentinus, huius nominis tertius, cui substitutus est alius Vlricus de Liechtenstain, Tyrolen. canonicus Trident. & Brixinen. quartus huius nominis.

69. MELCHIOR à Meckau, Caspari à Meckau, Austriaei. Maximiliano Romanorum Regis Consiliarij ac Cubicularij, &c. filius, designatus Coadiutor Georgij, postea Episcopus Brixinensis ab Alexandro Papa sexto Romae magnificis caeremoniis Cardinalis creatus est, Anno 1503. Sub hoc Episcopo, nempe Anno Domini 1500. Leonhardus Comes Goritiae, vltimus suae familiae, Testamento legauit MAXIMILIANO Casari oppidum Luents Goricensis olim Comitatus cum omni sua iurisdictione, quod hoc modo Comitatu Tyrolensi plenè accessit & incorporatum est, Anno Dñi 1511. in quo quondam EUFEMIA, Comitissa Goricensis, instituerat Monasterium ordinis Carmelitarum, ibidem sepulta, secundum Putschium.

HOC ANNO in Comitatu Tyrolensi hyems asperissima, quam secuta est aestas immodicè aestuans, & arida; ita ut propter pluuiarum inopiam & nimium solis ardorem cuncta penè humi nascentia exaruerint, foenum in primis, parū quoque auenarum creuit, & frumenti maxima caritas secuta; vinum tamen ubiq; & optimum, & in maxima quantitate natum est, ut dolia deficerent. Fuit idem hic annus porcis admodum funestus, ac caeteris aliquot animalibus exitiosus.

ANNO DOMINI 1504. 24. Aprilis obiit Dominus GAUDENTIUS, Advocatus de Matsch, siue Amasia, Comes à Kirehperg, & Dominus in Prettigovv & Dauas, Curiensis Episcopatus Haereditarius Dapifer, SIGISMUNDI quoq; Archiducis, ac MAXIMILIANI Romanorum Regis Consiliarius, Dux militaris, postremus suae familiae, in magnifico castro suo Churberg, in valle Venusta, sepultus in vicino Monasterio sanctae MARIAE, ordinis sancti Benedicti, &c.

ANNO 1505. 16. Septembris obiit Tridenti Dominus VDALRICVS à Liechtenstain, Episcopus Tridentinus, sepultus ibidem; cui successit die 24. eiusdem mensis Dominus Georgius, eius nominis à Neidekh, Austriaeus, I. V. Doctor, Archiducatus Austriae Cancellarius, & Coadiutor Tridentinus, vir doctus, ac in grauibus negotiis diu versatus.

OBIT HIC Melchior Episcopus & Cardinalis Romae, secunda die Martij;  
Anno

s. deest;  
tertium

Anno 1509, in legatione pro Maximiliano Cæsare, Anno Pontificiæ dignitatis XXII. sepultus ibidem.

**CHRISTOPHORVS**, primus huius nominis, à Schrouenstain, filius Osvaldi Equitis aurati, ac Præcedis, Baronis à Wolckenstain, &c. Coadiutor Brixinens. & Tridentinens. summæ Ecclesiæ Præpositus, &c. fit Episcopus Brixinens. Anno 1510. vir genere, eruditione ac morum gravitate celeberrimus, Sororem habuit Felicitatem, Abbatissam Sonnenbergensem, & aliam sororem Barbaram, uxorem Domini Pauli de Liechtenstain, Maximiliani Cæsaris intimi Consiliarij: Ambo coniuges Augustæ defunctæ, ac Bozanum ad sepulturam suam translati, Anno 1513.

ANNO 1514. obiit dominus Georgius de Neidek, Episcopus Trident. Veronæ, ibi Vicarium Imperialem gerens, sepultus Tridenti, successit illi D. Bernhardus de Glöfs, Tyrolensis ex valle Naunum, huius nominis certius, I. V. Doctor, factus postea Cardinalis & Administrator Episcopatus Brixinensis.

PRÆFUIT hic Christophorus Brixinensi Ecclesiæ annis 12. Obit Anno 1521. 4. Calend. Aprilis, qui fuit 29. Martij, ibidem sepultus.

**SEBASTIANVS**, huius nominis secundus, Sperancius, I. V. Doctor, Consiliarius Maximil. Cæs. & Matthæi Langij Card. Præpositus Brixinens. fit Episcopus 5. annis præfuit. Obit in Brauneck 11. Octobris, Anno 1525. sepultus ibidem.

SUB HOC Episcopo, nempe Anno Domini 1522. diuisione facta inter Carolum V. Rom. Imper. & Ferdinand. fratrem paternorum Regnorum ac provinciarum, Ferdinando inter cætera cessit Comitatus Tyrolens.

**GEORGIVS** ab Austria, huius nominis quartus, Cæsaris Maximil. filius naturalis, postulatus est ad Episcopatum eodem anno 29. ac mense die 21.

QUARTO die Junij, Anno 1534. magnificum Palatium curiæ Oenipontanæ media nocte incendio grauissimo exustum est.

ANNO 1539. 18. Ianuarij, resignavit hic Georgius Episcopatum in manus Capituli, cum 14. annis Brixinens. Ecclesiam gubernasset, ordinatus in Archiepiscopum Valentinum in Hispania; vbi eum paucis annis sedisset, relicta Archiepiscopali sede Valentina in Germania inferiori, intercessione & autoritate Caroli V. Imperat. factus est Leodiensis Episcopus, Anno Domini 1544. cui multis annis præfuit; ibique mortuus & sepultus est senex, Anno 1557.

**BERNHARDVS** à Glöfs Tyrolensis, Episcopus Tridentinus, & S. R. E. Tituli S. Stephani in Cælio monte Presbyter Cardinalis, Anno 1539. mense Ianuario postulatus est in Administratorem Ecclesiæ Brixinensis; qui cum possessionis capiendæ causa venisset, inter prandendum Apoplexia tactus interiit 29. Julij, eodem anno. Vixit ab ingressu 17. dies. Corpus eius solemnifuneri pompa Tridentum relatum atque ibi sepultum est, cum illi Ecclesiæ 25. annis laudabiliter præfuisset. De cuius vita, rebus, ac aliis Episcopis Tridentinis latè ac eleganter scripsit Ianus Pyrrhus Pincius Mantuanus, libris septè, supra citatus, &c.

SUCCESSERVNT in Episcopatu Tridentino, Christophorus de Madruccio, Baro Tyrolensis, Decanus ibidem; in Brixinensi verò Christophorus Fuchsius à Fuchspurg Tyrolensis, Decanus ibidem.

**CHRISTOPHORVS** Fuchs à Fuchspurg, in lauffenburg Eques auratus, Capitaneus ac Præfectus Regius in Kuofftain, defuncta uxore Catharina de Machslrain, Nobili Bauara, ex qua tulit vnicum filium Christophorum, Equitè pariter ac Successorem suum in Kuofftain, animum ad Ecclesiastica applicuit, factus Canonicus Salisburgensis, Tridentinus, ac Decanus Brixinensis, locum tenens Oeniponti; defuncto Bernhardo Cardinale, electus est Episcopus Brixinensis, Anno Domini 1539. prima Septembris.

ANNO

ANNO sequenti 1540. tam feruens ac arida æstas fuit, vt pleraq; agrorum fata perirent, frumentumque exaresceret: Vicissim magna vini generosissimi copia prouenit, vt vasa quoque deficerent; Montana quoq; nemora ex nimio solis ardore accensa, iuxta urbem Oenipontanam in nemore Hecinio, 20. die Iulij, tantum hominibus terrorem incusserunt, vt omnia vicina loca flammarum sæuitia conflagratura timerent. Obiit hic Episcopus anno tertio sui Pontificatus, 29. Aprilis, aliàs secundum Catalogum 9. Decembris, Anno 1542. sepultus ibi in summo Templo. Electus est post eum in Administratorem Dominus Christophorus Madrucius, Episcopus Trident.

75. **C**HRISTOPHORVS Madrucius, Episcopus Tridentinus, eligitur in Episcopum Brixinensem, Anno 1542. factus postea Anno 1544. à Paulo Papa tertio Cardinalis Tituli S. Cæsarij, vir magni iudicij ac experientiae, gratis, doctus ac eloquens, cuius opera & consilio Carolus quintus Imperator, ac filius ipsius Philippus Rex Hispaniarum, nec non & ipsi Summi Pontifices in grauissimis negotijs ac legationibus sæpe ac vtiliter vsi sunt. Obiit Tiburi, Anno 1578. die 5. Iulij, ibidem iuxta Cardinalem Estensem sepultus, cum Brixinens. Ecclesiam 36. annis laudabiliter rexisset.

ANNO 1545. Idibus Decembris, sacrum ac œcumenicum Concilium Trident. à Paulo tertio, Pont. Max. Anno 1542. 11. Calend. Iunij, ipsius Episcopi suasu ac instinctu legitime indictum, iam demum publicari ac celebrari coeptum est, eodemque die Tridenti sessio prima habita.

76. **I**OANNES THOMAS, Baro à Spaur & Valerio Tyrolensis, Præpositus & Canonicus Brixinensis, ac prædicti Christophori Madrucij Cardinalis ex Sorore Nepos, Anno Domini 1552. Coadiutor factus; postea Anno 1578. defuncto Cardinale Christophoro, in Episcopum electus; qui hoc 1582. Anno adhuc cum laude præest. Omnipotens DEVS ipsum Ecclesiae Brixinensi quam diuissimè incolumem conseruare velit.

EPISCOPI Brixinenses, quemadmodum etiam Tridentinenses, tametsi iure Aduocatiæ, ac quibusdam aliis ad Comitatum Tyrolensem pertineant, sunt tamen Principes Romani Imperij, Regalia ab Imperio, sessionem in Comitibus Imperialibus habent, ac in contributionibus sunt: Hinc quoq; vt & ceteri sacri Romani Imperij Principes, tam Ecclesiastici quàm sæculares, ab antiquis temporibus Officiales suos, quos hæreditarios vocant, habent; nempe hi nostri Brixinenses Marschalcos, olim à Schönek, nunc Barones à Welsperg & Primör, Dapiferos, olim à Kastelruto, nunc Barones à Wolckenstain & Rodneck, Pincernas, olim Nobiles de Seben, postea Nobiles de Niderthor; post hos Nobiles de Tunn, qui etiam Pincernæ sunt Tridentinensis Episcopatus, Camerarios, olim Nobiles de Rodneck, postea de Schneckéberg, post hos Barones à Vels, &c.

SUNT quoque quatuor alij Episcopi, Suffraganei Archiepiscopatus Salisburgen. nempe Gurcen. Chiemen. Seccouienensis & Lauentinensis: At hi inter Principes Imperij non censentur: locum aut sessionem in Comitibus non habent, neq; Imperio quicquam contribuunt. Horum Episcoporum Catalogos non habui, neq; de eorum primæua institutione, vita ac gestis, alia quam quæ supra sub Salisburgen. Archiepiscopis, de quorum mensa, vt vocant instituti, breuiter annotata suat, Gurcensis, nempe per Gebhardum Archiepiscopum, circa annum domini 1073. CHIEMENSIS, Seccouienensis ac Lauentinensis, per EBERHARDVM Archiepiscopum, circa Annum Domini 1214. & 1220. Qui de his præter Chiemen. plura cupit scire, Wolfgangum Lazium legat, in commentarijs suis Reipub. Romanæ, lib. 12. mihi fol. 1222. 1225. & 1228.

ADDI.

# ADDITIONES.

## BRIXINENSES EPISCOPI

**T**HEODONI tertio filium fuisse THEODIBERTVM, qui de patris su-  
prema iam agentis manu principatum accepit, ex historijs alijsq. antiquiss. monu-  
mentis indubitatum est. Fratres verò eidem Theodoni fuisse quoq. Diepoldum  
& Othonem, quos alij Theodibaldum & Vtonem vocitant, credere prohibeor. hjs que accu-  
ratè tradit Velfer. Rer. Boicar. IV. p. 215.

Error est in annis inde ut videtur natus, quod aberrantes facile longissimè (ut  
Velfer. pag. 213. rectè ait) qui in Regum nominibus lapsi, historiam ad superiores  
Theodones retraxere, ante annos octoginta circiter vita iam functos. Rescri-  
bendus verò hic annus DCXVI. post Christum natum.

Huius S. Cassiani mentio in confirmatione Ludouici III. & in donatione Conrad.  
II. quas infra suis locis exhibebimus.

Juliani temporibus Sabiona (ut loquitur Velfer. Boicar. III. pag. 178.) que inter Bri-  
xentas in alpihus citra Bauzanum sita ad Boicam olim pertinuit. Otho Frisingen. Brix-  
nam Bauariæ civitatem appellat: & longè à verò errant, at que historię imperiti sunt qui siue  
Sabionam, siue Brixinam Boijs adimunt.

Aquilegiam Norici (qua illud ad Adriaticum sinum vergit) urbem; illumque to-  
tum tractum Norico, secundum alios Vindelicia, que & ipsa Norici pars, accensam fuisse,  
nemo negabit. Idq. Diplomatum Regis alijsq. monumentis vetustissimis probari potest.

Secundum à S. CASSIANO Episcopum Sabionen. seu Brixinatem ex Philipp. Fer-  
rario producit R. P. Raderus Lucanum quem etiam inter Bauariæ sanctos recenset hjs ver-  
bis: Diuus hic Lucanus Sabionenlem egit Episcopum sub Annum Christi  
CCCCXXIV. Cælestino Pont. Max. Romanam Ecclesiam Christiani orbis pa-  
rentem administrante; apud quem ab æmulis & nimis religiosi delatus est,  
quod ditiori suæ subiectis per Cineralia cum summa rerum inopia preme-  
rentur, lactis usum, & quæ inde obsonia fiunt in cibum benignius indulsi-  
set; cum tamen necessitas legem nesciat: nec Ecclesia, quæ mater, non no-  
uerecra est, velit ovilia sua nimia fame premi, multò minùs interire. Citatus er-  
go ad summi in orbe Christiano iudicis tribunal, quamuis iam annis & senio fes-  
sus, vno duntaxat administro comitatus, cum Spoletum venisset, stabularij seu  
Cauponis vxorem aquâ intereute dissentam solis precibus curavit, uti noxius  
humor sponte diffugeret, vterusque euacuatus & correctus subsideret. Inde  
Romam vsque progressus, cum pallium ad solis radios siccandum suspende-  
ret, pendit illud sine clauo, sine paxillo, perinde quasi tela solis armata ha-  
mis sustinerent vestem. Quod cum Pontifex Cælestinus ipse spectator admi-  
raretur, indeque de sanctitate antistitis coniecturam faceret, non solum ab om-  
ni crimine habuit excusatum (ut cuius innocentia etiam cælum suffragaretur)  
sed etiam multis cultum beneficiis ad suam sedem remisit. Atqui nec tum po-  
tuit quamuis Romæ absolutus domi conquirere, inimicis illum tam diu exa-  
gitantibus, donec loco cederet, qui inde in vallem Agordiam, quæ Beluno pa-  
ret, se demisit, vbi Auatia religiosa femina peregrino victum benignè submini-  
stravit,

Qq

Cum

Cum vitâ cessisset, & corpus eius Belunum esset deferendum, id nunquam fieri potuit, quo ad sacrum eius caput Agordi veluti pignus accepti beneficij relinqueretur. Reliqua pars corporis Beluni in summam ædem illata summam habet venerationem.

Hic eximendus est lectori vnus alterue scrupulus, qui Philippum Ferrarium nec quicquam tōrsit. Miratur is, cum de hoc Lucano Brixinensi præfule tractat, quamobrem apud Democharem & Hundium in Syllabo Pontificum Brixinensium vel Sabionensium nulla fiat mentio. Promptissimum est è vero respondere. Nomina ab vsque S. Cassiano omnium Pontificum propter barbarorum incursiones & vrbs euersionem, ad vsque S. Genuinum seu Ingenuinum (de quo infra) intercidisse. Nullum autem genti illi rectorem, præfulem, aut Pontificem interea vnquam præfuisse, non est verisimile, cum hic ipse Lucanus ex monumentis Belunensibus ostendatur interea loci Pontificem egisse. Sed & prisca Brixinensium Chartophylacia tum belli cladibus, tum incendijs ruinis perierunt, vt doceri non possit nullum præterea alium post Cassianum Episcopum fuisse. Alter est, cum Brixina illa tempestate nec opidum fuerit, neque nomen eius extiterit, & ab S. Albuino qui sub Othone III. & Henrico S. demum vixit, sedes è Sabiona Brixinam, quam ille mænibus cinxit & opidi nomen indidit, fuerit translata, quomodo S. Lucanus potuerit dici Episcopus Brixinensis? Nec hic opus est Alexandri gladio ad secundum hunc nodum. In promptu est responsio, dictum esse Brixinensem Episcopum per metachronismum, quod sedes Brixinam è Sabiona sit translata, vt hodie SS. Cassianus, Ingenuinus, & Albinus dicuntur Brixinenses Episcopi, per vsurpationem & Catachresin, cum Sabionenses fuerint. S. Albinus primus Brixinensis Pontifex celebratur. A quo posterioris æui scriptores regressi ad primos cum Sabionæ nomen Brixinæ claritas extinxisset, etiam priores Pontifices, & pontificatum Brixinensem abolito Sabionæ nomine nuncuparunt, vt ex Belunensibus chartis coges, quæ non eodem sæculo quo S. Lucanus vixit, sed longo post interuallo sunt perscriptæ, quomodo enim Brixinensem appellasset pontificem, cum Brixina nusquam nisi in Vtopia id loci esset.

Quare Brixinenses pontifices sancto veroque iure hunc S. Lucanum in album & syllabum antistitum Brixinensium possunt adlegere, & inter DD. Cassianum & Ingenuinum medium collocare. Nec est quod quisquam cogitet hunc fortasse Brixinensem in Italia fuisse præfulem: Extant apud Democharem nomina Brixinensium Pontificum, inter quæ nullum est Lucani, nullus Lucanus. *Hactenus de S. Lucano P. Raderus, cuius sententiæ lubens subscribo.*

*Non possum non commemorare hoc loco, quæ supradictus R. P. Raderus, de S. Ingenuino (qui & Genuinus) Pontifice Sabionensi apud Brixentem magno rationum pondere in medium adfert; & tot quidem verbis, quot ipse vitur.*

Antiquissimus, ait, scriptorum qui Ingenuinum laudat est Paullus Warnefridus Diaconus Foroiuliensis, historiæ Longobardorum conditor: Hic Ingenuinum in conuentu decem antistitum in Mariano confedisle testatur. *Post hæc inquit facta est Synodus decem Episcoporum in Mariano, vbi receperunt Seuerum Patriarcham A-*  
qui-

quiliensem, autem libellum erroris sui, quia trium capitulorum damnatoribus communicat Ravenna. Nomina vero Episcoporum qui se ab hoc schismate cohibuerunt, hec sunt: Petrus de alimo clauisimus, Ingenuinus de Sabione, Agnellus Tridentinus, Iunior Veronensis, Horuinus Vincentinus, Rusticus de Taruifio, Fonteus Feltrinus, Agnellus de Acilio, Laurentius de Luacensis. Cum Patriarcha autem communicauerint isti Episcopi: Severus Parentinus, Iohannes Patricius, Vindemius, & Iohannes.

Hæc Diaconus de quibus pluribus infra agemus. Hic primùm Inge-  
nuini acta vitam & mores recognoscemus. Deinde censuram nostram subijcemus, iudiciumque de singulari feremus. Ergò in Brixinensium factis, quos propria Sanctorum Brixinensium inscripserunt, Romæ prius à Baronio & Pio Comens aliisque Cardinalibus recognita, deinde Anno MDCLXVI. ex auctoritate Christophori Andreæ Pontificis Brixinensis Oeniponte apud Danielem Agricola[m] ediderunt, hæc de S. Inge-  
nuino leguntur:

Ingeniuus primus post sanctum Cassianum temporibus Gregorij Magni & Ruperi primi Salisburgensis Episcopi, circa Annum Domini quingentesimum nonagesimum Sabionensem rexii Ecclesiam. Nam cum Sabiona expulso sancto Cassiano à gentilibus depopulata: postea vero per Hunnorum incursionem ab Attila rege funditus excisa; ac deinceps plus quam ducentis annis sine Rectore & Episcopo fuisset: Ingeniuus urbem & Ecclesiam Sabionensem, Theodori terij Bavarie Ducis beneficentia restaurauit. Eiusque ibidem secundus Episcopus & Pastor ab Helia Patriarcha Aquileiensi, tum temporis Metropolitano est consecratus. Grassabatur autem adhuc infelix illud contra quintam Synodum Constantinopolitanam, tria Iustiniani Imperatoris Capitula damnantem, schisma. Quod cum uniuersam prope Catholicam Ecclesiam pluribus annis miserè dilacerasset: ipsumque etiam Severum Helie Aquileiensi Patriarchæ Successorem, ac plures Episcopos infecisset: Ingeniuus tamen, unà cum paucis quibusdam orthodoxis non modo adduci non potuit ut consentiret, verum etiam Marianam Synodum presentia & auctoritate sua laudabiliter condecorauit; in qua dictus Severus Patriarcha reuocato errore receptus fuit in gremium Catholice Ecclesie. Magnus verò pro honore Dei profectus laboribus Ingeniuus, sub Authari Flauio Longobardorum rege Italiani deuastante in exilium pulsus est. Fbi aruennis consecutus miraculis gloriosus migravit in cælum Nonis Februarij.

In hac narratione primum illud obseruandum S. Inge-  
nuini primum post S. Cassianum Sabionæ Episcopum, sed ut supra ostensum est, S. Lucanum inter Cassianum & Inge-  
nuinum medium intercessisse. Indeque Petrum de Natalibus, Hundium & Ferrarium ipsosque Fastos sacros Brixinensium castigandos. &c.

Deinde grauior sequitur error & certus, cum affirmatur Ioannem Rauennatem antistitem schismate de tribus capitulis infectum, & schismatis antesignanum fuisse, quæ grauis est iniuria, optimo & Catholico pontifici Rauennatum illata. Nec enim is vnquam fuit schismate infectus, sed vel maximè contra schismaticos decertauit. Quod ex S. Gregorij epistola ad eundem missa clariùs elucescit, qua laudat Ioannem, & gratias eidem agit, quod Istriæ Episcopos per Exarchum ad Catholicæ Ecclesiæ sententiam sequendam compulerit, &c. Et infra: De Inge-  
nuini præterea exilio, tradit idem Baroni-  
us anno Christi DCXXXVIII. Porro inquit, etsi sub Ariano rege non reperitur indicta  
in Catholicos persecutio: accidebat tamen interdum ut si qui Episcopi astuantes zelo Catholice fidei urgerent  
Arianos, iidem ab eodem rege exilio multarentur, ut contigit S. Genuino siue Inge-  
nuino Episcopo Sabio-  
nensi, qui à rege Longobardorum in exilium pulsus apud Brixionem in Germaniam, ibidem diem obiit, iun-  
ctusque sepultura est S. Albino eiusdem ciuitatis Episcopi; factumque est ut amborum vna eademque die nata-  
lis in Ecclesia celebratur Nonis Februarij.

Vbi rursus venire in dubium potest, quod pulsus ex Italia Brixionem uenerit, & ibi mortem obierit, cum Brixina nondum extiterit, Sabiona pul-

pulum oportuit. Sed nec Sabiona fuit instaurata, ab Hunnis & Attila eversa, cui Clusium oppidum ad pedem montis Sabonæ affixum successit. Enimvero modo summa rerum in vita S. Genuini seu Ingenuini constet, de singulis articulis corporis aliquando deprauatis minus laborandum, quamvis optandum ut omnia sibi consentent. Nam sæpe vsu venit, ut ubi singula labant, summa concidant. Albinus dein additus est Ingenuino, qui prior fuit quadringentis annis, nisi de translatione agas. Vbi tamen in vita verè scriptum est corpus Albuini appositum corpori S. Ingenuini. Certum est ex Diacono Ingenuinum Episcopum Sabionensem fuisse. Certa alia, nisi quæ iam notanda & castiganda nominauimus. Adde coronidis loco Ingenuinum virum ex eo quoque sanctum videri potuisse, quod ipse vltima passus tamen in captiuorum lythrum magnam vim pecuniæ Francis expenderit, cum in singula virorum capita sexcentos solidos adnumerârit, ut Paullus libr. 3. c. 32. docet. Auentinus tantum Diuum Ingenuinum Sabionensem (qui nunc Brixinensis est inquit) appellat, aliud non addit.

h. *Mentionem faciunt S. Ingenuini Donationes Conradi secundi, quas infra sub Hartuico Episcopo inuenies.*

i. *Velfer. V. Boicar. p. 308. Ex Catalogo Episcoporum Sabionensium successionem sic dixerit.*

S. CASSIANVS.

S. INGENVINVS.

S. CONSTANTIVS.

VRSVS.

PIGENCIVS.

PROIECHVS.

MATERNINVS.

MARCELLVS.

VALERIANVS.

AGNELLVS.

ANRIHANVS.

ANTONIVS.

LAVRENTIVS.

JOANNES.

ALIMVS.

k. *Catalogus, quem Velfer. refert, hunc Mastulonem penitus ignorat.*

l. *Sabionensis Episcopatus & plerique Boicæ loci Tridentino Ducatui confines, à Luitprando Longobardorum rege intercepti. Longobardis tum parebant. Vnde factum, quod S. Bonifacius, cum Bauariam in certas distribueret Dioceses; Sabionam praterijt. Quod R. P. Serarius Rer. Mogunziacar. pag. 496. 28. (in Notation.) sic narrat: Scæc sacra per Boicam habebantur quatuor, LAVREAGVM siue BATAVA, SALISBURGV, FRISINGA, REGINOVRGV. SABIONÆ ratio non habita, quod Longobardicum imperium respiceret. &c. Quod vero Boiorum Concilio Prid. Id. Octobr. An. DCCLXXII Dingelsingam indicto ALIMVS Sabionensis Episcopus interfuit; rectè hinc Velfer ratiocinatur (Rer. Boicar. V. p. 308.) Sabionam in Thassilonis potestatem cum bona saceri gratia tum concessisse, & Boicæ rursus contributam fuisse.*

*Meritò hic Dn. Hundius, vir optimus & veritatis perquam studiosus Auentinum notat, quod breuiter sed suo paraphrastico more, mutatis verbis Decreta aliqua huius Synodi referat, cum tam hoc, quam pluribus alijs in locis (ipsius D. Hundij, adeoque omni-*

am honorum virorum iudicio) consultius fuisset, veterum Diplomatum, Epistolarum ac Decretorum verba genuina ac autentica, utcunque parum elegantia, prout seculum illud tulit, ponere. Nam mutatio verborum sepe numero sensum quoque, ac ipsam sententiã pervertere videtur, quod plerisque doctos viros, ac Ouentini alias studiosos in ipso (et merito quidem) desiderare audio. Consimile, nec minus insigne audacia Auentini exemplum, vide infra sub Episcopo WISVND.

Meliori animo et fide integriore nos hic representamus Concilium seu Synodum Dingolingen, vel potius fragmentũ eius, quod clarissimus et perenni memoria dignus Dn. Henricus Canisius Notiomagus I.C. et SS. Canonum, professor in Academia Ingolstadtensi Dominus et amicus meus honorandus, acceptum ab Illustri viro Marco Velfero, multis nominibus mihi nunquam non honoratissime nominando, a se propria manu ex peruetusto Codice ex scriptum, anno MDC. in lucem edidit.

Not. Nonnulla huius Concilij acta supra sub Patavien. et Laureacen. Archiepiscopo Wisserico extant; quæ candido lectori cum his conferre non iniucundum fore spero, nec infructuosum.

## HÆC SVNT DECRETA, QUÆ CONSTITVIT

sancta Synodus, in loco, qui dicitur Dingoluingen, Domino

\* Tassilo mediante,

\* l. Tassilo  
me.

**D**E die Dominico ita constitutum est, vt tali honore habeatur, sicut in lege scriptum est, et in decretis Canonum. Et si \* quid præsumperit frangere contra legem aut decreta Canonum, tali pœna subiaceat, sicut ibi scriptum est.

De hæreditate, quæ tradita est ad Ecclesiam, ita constituit; vt quisquis hæreditatem suam ad Ecclesiam antea donauerat, aut postea donauerit, si quid mutare voluerit, chartam suam habeat ita scriptam, vt locum, et tempus, et personam habeat, aut tribus testibus fidelibus et nobilibus testificetur. Si Sacerdos non habeat chartam, nec testem, vt prædiximus, tunc sicut in lege Baiouariorum et iudex iudicat, sic defendat.

De eo, quod Episcopi iuxta Canones, et Abbates Monasteriorum iuxta regulam \* viuentes, ita constituit.

\* De eo quod sanctimonialia, quæ in seruitio Dei sunt, ita constituit; vt nullus ausus sit in coniugium et matrimonium ducere, aut si quis ausus fuerit contra decreta canonum, ita componat sicut canones decreuerunt.

De eo, quod ius ad legem, quam habuerunt in diebus patris sui, nobiles et liberi et serui eius, ita donauerunt vt firma fieret.

De eo, quod vt si qui de nobili genere de hæreditate sua dare \* ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nemo prohibuisset nec mutaret in perpetuum.

De eo, quod vt serui Principis, qui dicuntur Adelschalhe, \* vt suam habeant Weregeldam, iuxta morem quem habuerunt sub parentibus, et cæteri minores Weregeldi iuxta legem suam, ita constituit.

De eo, quod parentes Principis quodcunque præstatum fuisset nobilibus intra Baiouarios, hoc constituit, vt permaneret et esset sub potestate vniuscuiusque relinquendum posteris, quam diu stabiles fœdere seruassent apud Principem ad seruiendum sibi, et hæc firma permaneret, ita constituit.

I.

Cogitantur  
cur numeri

hic primũ  
incipiant.

\* l. Quam  
et Sinen-

tes sint.

II.

\* l. De san-

ctimoniali-

bus.

III.

IV.

\* fort. deest  
Sclerem.

V.

\* videtur  
abundare;

VI.



VII. De eo, ut nullus hæreditate sua priuetur, nisi per tres causas, \* quas in pacto scribentur; propter homicidium, hoc est, ut quisquis hominem principis sibi dilectum occiderit, ob iniuriam Principis, & ad calumniam, hominem componat secundum legem, tunc priuetur hæreditate sua.

VIII. De eo, quisquis \* mulierem nobilem acceperit in coniugium, & non præsciuit, ita constituit, ut iterum libera esset dimittat seruum, & postea non redigatur in seruitium, sed esset libera.

IX. De eo, quod & si quis de quocunque reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare si voluerit, antequam pugnam quam Wehadinc vocatur, permittat.

X. De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis \* IV. causis, \* de qua supra diximus: si ille hæreditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, vxor autem illius suo iure non priuetur, ita constituit.

### DE COLLAVDATIONE QVAM EPISCOPI ET AB- bates in Baioaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus.

**I**N Christi nomine. Noticia, qualem convenientiam gentis Baioariorum Episcopi & Abbates inter se fecerunt, quorum nomina infra perarare stylo de-creuimus, id est, Manno Nuuenpurgensis ciuitatis Episcopus, Alim, Vigilius, Wiserich, Sintpreht, Heres Episcopi, Oportunus, Wolfpreht, Adalpreht, Ato, Vto, Lantfrit, Albune, Ruothart, Ernest, Reginpreht, Volchanhart, Perhhoch, Sigido Abbates. Vteorum quis de hac luce migraret, vnusquisque superstitum Episcoporum vel Abbatum pro defuncto in domo sua Episcopali vel cænobio, C. missas speciales & eodem numero \* psalterio cantare faciat. Ipse verò de propria persona sua XXX. speciales missas compleat, vel à religiosis sibi met subiectis, implere omninò prænotatum faciat numerum presbyteris siue monachis, cum de hoc seculo migrauerint Episcopus seu Abbas vno presbytero vel vno monacho XXX. missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari.

### DE CONCILIO, QVOD DVX TASSILO, APVD Dingoluingam celebravit.

**R**EGNANTE in perpetuum domino nostro IESV Christo, in anno vero XXXII. regni religiosissimi Ducis Tassilonis gentis Baioariorum sub die \* consulens, quod erat II. Id. Octobr. atque anno ab incarnatione Dominica DCCLXXII. Indiæ. X. diuina præfatus inspiratione, ut omne regni sui prænotatus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingoluingam nuncupatam, ut ibidem tam regulare moderaret in sancto habitu cænobium virorum & puellarum, quam Episcopales moderaretur obsequias, insuper gentis suæ institutiones legum per primatos \* imperitos vniuersa consentiente multitudine, quæ reperit \* diuturna vitata, & quæ videbantur abstrahendo euellere, & quæ decretis placerent, componenda instituerentur. Inter tot verò collegia Sacerdotum deuolutis Episcoporum & Abbatum in præsentia paginis, regularis ordines vitæ atque Canonum normas, vel decreta patrum, nullis comprobare quiverant testimonijs, ut monachis parochiæ commendari deberent, vel publica baptismatis obsequia, nisi fortè pro periculo mortis, & nihil eorum implerent commorandi negotio, excepto \* vicissitudi-  
nis

\* I. psalteria.

\* An. Cal. listi. incidit  
an. prid.  
Id. Octobr.

\* I. Episcopos.  
\* duntaxat.  
nisi.

\* I.

nis villarum propriarum singulis annis obdientialibus curis commisso ab Ab-  
bate proprio fuerit determinata. Vnde ab vniuersis Abbatibus facta profes-  
sio, vt minimè titulis popularibus se ingerere depellerentur, & hæc omnia cui  
commisæ sunt plebes, sub potestate Episcoporum permanerent, sicut in san-  
ctis Synodis vel decretis patrum perarata comprobatur conscriptio,  
ab Episcopis verò simili modo, & nihilominus \* prælati ponderauerunt sen-  
tentijs; vt erga eos charitatis gererentur curæ, ita vt Canonica auctoritas con-  
firmat, & spiritualis concordia declarat. Hoc peractio concilio, & ab vniuer-  
sis vno ore confirmato, vt si quis de eadem institutione deuiare præsumpserit,  
à collegio eorum alienetur vsque iterato examine, id est, publica Synodo.

## DE POPVLARIBVS LEGIBVS.

**P**RÆNOTATVS Princeps vniuerso concordante collegio, \* hic consti-  
tuit, vt nullus à prouinciæ suæ mancipium limine venundare, vel propri-  
um vel fugitiuum præsumpserit, & si quis hoc decretum non obseruauerit, We-  
regeldo suo culpabilis permaneret.

Vt nullus furtiuam rem tam in equis & alijs quadrupedibus quàm in reli-  
qua supellectilia, extra finem Baioariorum venundare, vel machinis diabolicis  
extra minandi, insidijs tegi, vt si quis hoc præsumpserit XL. solidis componat  
in publicum.

Vt si quis domum tam liber, quam seruus, altius effoderit, & ibi occisus  
fuerit, sine compositione in sua damnatione permaneat: Si autem supellecti-  
lia abstulerit de eadem domo, & eo fugiente in curtem vel extra curtem, hic  
cui damnum intulit, consequitur & interfecerit, pari subiaceat sententia.

Similiter, qui liberum vel mancipium suum furauerit, & cum compre-  
hendere minimè quierit, & ibidem interfecerit reum, superior permaneat  
sententia; sed tamen ea generatium homicidiorum, debita signa vicinis suis,  
& his, qui assistunt. insignet.

De pugna duorum, quod Wehadinc vocatur, vt prius infortiantur, quàm  
parati sunt, ne fortè carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus in-  
sidiantur.

Qui suprâ prædictæ pugnae, quod Camsvvic dicimus, peractio iudicio, se  
simili vincta erigere contra querentem præsumpserit, Sacramentum, quod  
Atheid dicitur, iuret in Ecclesia cum tribus nominatis sacramentalibus,

De eo, quod Baioarij Stapfflaken dicunt, in verbis, quibus ex vetusta con-  
suetudine paganorum idololatriam reperimus, vt deinceps non aliter nisi † in-  
dicat, qui quærit debitum, Hæc mihi iniuste abstulisti, quæ reddere † debet.  
Reus verò contradicat, Nec hoc abstuli, nec componere debeo, iterata voce  
requisito debito dicat, Extendamus dexteram nostras ad iustum iudicium Dei, &  
tunc manus dexteram vterq; ad cælum extendat.

Vt nullus furtiuam rem suscipere, vel intra terminum abscondere præsu-  
mat, qui hoc fecerit XL. solidos componat.

Vt hi, qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur iudicia, quæ  
Baioarij Vrtella dicunt.

Vt hi qui in Eccles. libertatem conquirebant, deinceps tam ipsi, quàm eo-  
rum posteritas in secura libertate permaneant, nisi fortè ipsi sibimet insolubile  
damnum inferant, quod componere minimè quierint.

Qui ex eis occiduntur, pretium eorum his soluat Ecclesijs, vbi liberi  
dimissi sunt. Liberi, qui ad Eccles. dimissi sunt liberi, vel per chartam acce-  
perunt

XXIII.

Quæ refe-  
rendi sint  
hi numeri  
et sequen-  
tes etiam,  
non satis  
liquet.

XXIV.

XXV.

ita dicat,  
† debet.

XXVI.

XXVII.

XXVIII.

XXIX.

perunt libertatem à Rege, si occidantur, LXXX. sol. componantur Ecclesiæ vel filiis eorum, in dominico XL. sol. compon. Si ancilla libera dimissa fuerit per chartam aut in Ecclesia, & post hæc seruo nupserit, Ecclesiæ ancilla permaneat. Si autem libera \* Baioario seruo Ecclesiæ nupserit, & seruire opus ancilla contradixerit, abscedat, si autem ibi filios & filias generauerit, ipsi serui & ancillæ permaneant, potestatem \* ex inde non habeant, Illa autem mater eorum quando exire voluerit, ante annos III. liberam habeat potestatem, si autem III. annos indurauerit opus ancillæ, & parentes eius non exadomauerunt eam, vt libera fuisset, nec ante Comitem nec ante Ducem, nec ante Regem, nec in publico mallo, transactis tribus Kal. \* Martis, post hæc ancilla permaneat in perpetuum, & quicumq; ex ea nati fuerint, serui & ancillæ sunt.

**XXX.** Qui furtiuam quod \* Zougenuht dicitur, super furem comprobare nequiuerit, furtiuo compon. more.

**I.** Qui resisterit domum suam, quod \* selisuchen dicunt, qualem rem quærenti resistebat, talem compon. In publico XL. sol.

**II.** Qui manum immisionem resisterit, quod hantelod dicunt, XL. sol. soluat in publico, & ipsam rem quærenti reddat.

**III.** De his, qui supradictis \* homicijs debita morte in furto \* repertis, vt si quis huins interfecti parentelæ eum, qui suo scelere captus est, vindicare tentauerit, à propria alode alienus efficiatur.

**IV.** Et si quis signum, quod est sigillum, in honorauerit, vel huiuscemodi iniurta minimè impleuerit, prima vice arguetur, secunda XL. sol. compon, III. sum. Weregeldum, IV. exterminetur ab actio officio.

**V.** Vt si quis iudicium furti in bina vel terna reprehensione non damnauerit, & eum diabolico lucro dimiserit, at per eum quasi comparticeps spolijs pauperum \* ditarentur, tot sceleris, quod commiserit ante oculos Dei & Angelorum efficiatur & nihilominus, cui fraudem fecerit, quasi proprium compon. debitum.

Vt si quis in virtute coniunctus, à coniuge propria adulterina separatus fuerit, eiusq; ex cognatione coniugis propter eandem dimissionem \* qui eum persequi tentauerit, à proprio alienatur patrimonio.

**VI.** Vt nullus post tonsuram capillos vsu populari nutrire præsumat, nec velata, relicto velo, sæcularem habitum sumat, vt si quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur aut excommunicentur.

### CAPITVLA QVÆ DOMINVS KAROLVS SERENISSIMVS ADDERE IVSIT,

**V**T bannum ipsius quislibet irrumperet, componere debeat. Vt Ecclesia, viduæ, orphani, vel minus potentes pacem rectam habeant, & vbiunque infractum fuerit, LX. sol. componatur. Vt raptum vel vim per collecta hominum, & incendia infra patriam, nemo facere præsumat, & qui hoc commiserit, XL. sol. in bannum nostrum compon. Similiter & qui iussionem regiam in hostem bannitus irrumperit. Hæc capitula in assiduitate, reliqua autem reseruata sunt regibus, vt ipsi potestatem habeant nominatiuè demandare, inde exire debent. De Dinerialibus, vt si quis eos Regi componantur. Similiter de his, qui per chartam in Ecclesia, iuxta altare dimissi sunt liberi, cum XL. sol. compon. Regi. Hi verò, qui per chartam ingenuitatis dimissi sunt liberi, vbi nullum patrocinium & defensionem non elegerunt, similiter Regi componantur cum XL. sol.

Vt clericum nemo recipere audeat sine consensu Episcopi sui, & si eum aliquis acceptum habet, quando licentia ipsius Episcopi fuerit, aliter non faciat, nisi cum eius presentia per scrutandum, si dignus fuerit, deducatur.

### HÆC CAP. NOSTRA MISSI NOSTRI COGNITA FACIANT OMNIBUS IN OMNES PARTES.

VT nullus ad mallum, vel ad placitum, infra patriam arma, id est scutum & lanceam portet.

De latronibus, quicumque post missam sancti Ioannis latroni mansionem dederit, si Francus est, cum XII. similibus Franci iuret, quod latronem cum fuisset, non sciret, licet pater sit, frater, aut propinquus. Si hoc iurare non poterit, & ab aliquo conuictus fuerit, quod latronem in hospicio suscepisset, quod & ipse latro & infideles iudicetur, quia qui latro est, infidelis est noster & Francorum, & qui illum suscipit, similis est illi, si autem audiuit, quod latro fuisset, & tamen nescit firmiter, aut solus iuret, quod nunquam eum audisset, nec per veritatem nec per mendacium latronem esse, aut sic superatus si de illo latrocinio postea victus fuerit, aut similiter damnetur.

Vt nullus comparet caballum, bouem, & iumentum, vel aliud quid nisi illum homines cognoscant, à quo venditur, aut de quo pago est, vel vbi manet, aut quis eius senior.

De aduentitijs, vt cum Missi nostri ad placitum nostrum venerint, habeant obstrictè questum, quanti aduentitij sunt ad illorum missatico, & de quo pago sunt, & nomina eorum, & qui sunt seniores eorum,†

Similiter direximus Missos in Aquitaniam & Longobardiam, vt omnes fugitiuos & aduentitios ad nostrum placitum adducant. Quicumque ista capitula habet, ad alios Missos ea transmittat, qui non habent, vt nulla excusatio de ignorantia fiat, & hoc Missi nostri ante natiuitatem Domini omnibus cognita faciant,†

In primis omnium, iubendum est, vt habeant† Ecclesias eorum iustitias, tam in vita illorum, qui habitant in ipsis Ecclesijs, quamque in pecunijs & substantijs eorum. † Ast vt omnes Episcopi potestati vel secundum regulam Canonicam doceant, & regant eorum ministeria, tam in monasterijs virorum quamque puellarum vel in forensis presbyteris seu reliquo populo Dei. Vt viduæ, & orphani & minus potentes sub Dei defensionem & nostro munde-

burdo pacem habeant, & eorum iustitia. \* Episcopi cum Comitibus stent, & Comites eum Episcopis, vt vterque pleniter suum ministerium peragere possit. \* Vt latrones, vel homicidæ, seu adulteri vel incestuosi sub magna \* distinctionem & correctionem sunt correpti, secundum ea Wabaiariorum velle.

\* De rebus proprens, vt ante Missos & Comites nostros & iudices veniant, & ibi accipiant finitiuam sententiam, & in antea nullus præsumat alterius rebus proprendere, nisi magis suam causam quærat ante iudices nostros, vt diximus, & ibi recipiant quod iustum est. \* Et si aliquis voluerit dicere, quod iuste ei non iudicetur, tunc in presentiam nostram \* veniant. Aliter verò non præsumat in presentiam nostram venire pro alterius iustitia dilatandum. Quod non amplius de illis iustitijs Missi nostri ad præsens modo faciant, nisi de temporibus Tassilonis seu Luitpirgæ, exceptis illis qui aui & genitoris nostri

vel  
\* Genitor.

\* Capit.  
Kar. M.  
lib. 3. c. 22.

\* Capit.  
Kar. M.  
lib. 3. c. 23.  
\* in fuisse.

† infidelis

† paratur.  
† Et.

† Capit.  
Kar. M.  
lib. 3. c. 24.

† Capit. K.  
M. lib. 3. c.  
24.

† Capit. K.  
M. append.  
2. ad 4.  
lib. c. 2.

† Hucusque  
habet Ca-  
pit. K. M.

† cognitum.  
† Ecclesia  
earum.

† potestati-  
ne secundæ

\* Capit. K.  
M. lib. 5. c. 138.

\* Capit. K.  
M. lib. 5. c.  
139.

\* distinctio-  
ne & cor-  
reptione

† sint corre-  
pti: Verba  
quæ deinde

sequuntur  
non habentur  
in Capitulari

Karoli

\* Capit. K.  
M. lib. 5. c.  
140.

\* Capit. K.  
M. lib. 5. c. 141

vel ad nos venerint. Et marca nostra secundum quod ordinatum vel scriptum habemus, custodiant una cum Misis nostris.

## CAPITA QVORVM IN LEGE

Salica mittenda sunt.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 25.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 26.

\* contra-

ditione.

\* collecta

† Capit. K.

M. l. 3. c. 27.

† adiuuare.

† Capit. K.

M. appen-

dice sec. ad

lib. 4. c. 3.

† personam

† agnatio.

† Capit. K.

M. l. 4. c. 14.

† Capit. K.

M. l. 3. c. 28.

DE homicidiis Clericorum, \* Qui Subdiaconum occiderit, CCC. sol. compon. qui Diaconum. CCCC. qui Presbyterum. DC. qui Episcopum DC. CCC. qui monachū, CCC. sol. culpabilis compon. \* Si quis in emunitate damnatum aliquod fecerit, DC. sol. compon. Si autem homo furtum aut homicidium, vel quodlibet crimen foris committens infra emunitatem fugerit, mandet Comes vel Episcopo vel Abbati, vel Vicedomino, vel quicumque locum Episcopi aut Abbatis tenuerit, ut reddat ei reum, si ille contradixerit, & eum reddere noluerit, in prima \* contradictionem XV. sol. componere iudicetur, si ad secundam inquisitionem eum reddere noluerit, XXX. sol. componere iudicetur, si nec ad tertiam consentire voluerit, quicquid reus damni fecerat, totum ille, qui infra emunitatem retinet, nec eum reddere vult, soluere cogatur, at ipse Comes veniens licentiam habeat ipsum hominem infra emunitatem quaerendi, ubiunque eum inuenire potuerit. Si autem statim in prima inquisitione Comiti responsum fuerit, quod reus infra emunitatem fuisset, sed fuga lapsus, statim iuret, quod ipse eum ad iustitiam cuiuslibet disfacendam fugere non fecisset, & sit ei in hoc satisfactum, si autem intranti in ipsam emunitatem Comiti \* collecto manu quislibet resistere tentauerit, Comes hoc ad Regē vel ad Principem deferat, tunc iudicetur, ut sicut ille, qui in emunitate damnatum fecit DC. sol. componere debuit, ita qui Comiti collecta manu resistere praesumpserit, DC. sol. culpabilis iudicetur. Si quis ad Ecclesiam confugium fecerit in atrio ipsius Ecclesiae pacem habeat, ne sit ei necessē Ecclesiam ingredi, & nullus eum inde per vim abstrahere praesumat, sed liceat ei confiteri quod fecit, & inde per manus bonorum hominum ad discussionem in publico perducatur.

† Si quis hominem in iudicio iniuste contra alium altercantem † adiurare per malum ingenium praesumpserit, atque inde coram iudicibus vel Comite fuerit, & negare non potuerit. XV. sol. compon. iudici.

† Si quis de libertate sua fuerit interpellatus, & timens, ne in seruitium cadat, aliquem de propinquis suis per quem se in seruitium casurum timet, occiderit, id est, patrē, matrē, patruum auunculū, vel quamlibet huiusmodi propinquitatis † persona, ipse, qui hoc perpetravit, moriatur, † agnatio eius & cōsanguinitas in seruitutem cadat, & si negauerit se illum occidisse, ad LX. vomeres ignitos iudicio Dei examinandus accedat.

† Qui res suas pro anima sua ad casam Dei tradere voluerit, domi traditionem faciat coram testibus legitimis, & quæ hactenus in hoste factæ sunt traditiones, de quibus nulla est quaestio, stabiles permaneant. Si vero aliquis alij res suas tradiderit, & in hoste profectus fuerit, & ille, cui res traditæ sunt interim mortuus fuerit, qui res tradidit cum reuersus fuerit, adhibitis testibus coram quibus traditio facta est, res suas recipiat. Si autem & ipse mortuus fuerit, hæredes eius legitimi res traditas recipiant.

† Si quis per chartam ingenuitatis à Domino suo legitime libertatem est consequutus, liber permaneat. Si vero aliquis eū iniuste inferuere tentauerit, & ille chartam ingenuitatis suæ ostenderit, & aduersariū se inferuere velle comprobauerit, ille qui hoc tentauerit, multā, quæ in chartā descripta est, soluere cogatur.

tur, si verò charta non paruerit, sed iam ab alio, qui eum inferuire voluerit diffracta est, Werigeldum eius compon. duas partes illi quem inferuire voluerit, tertiam Regi, & ille iterum per præceptum Regis suam libertatem conquirit.

\* Liber qui se loco Wadij in alterius potestatem commiserit, ibique constitutus fuerit, damnum aliquod cui libet fecerit, qui eum in loco Wadij suscepit, & qui damnum soluat, aut hominem in mallo productum dimittat, perdens simul debitum, propter quod eum in Wadio suscepit, & qui damnum fecit, dimissus iuxta qualitatem Regi cogatur emendare, si verò liberam foeminam habuerit, vsque dum in pignus extiterit, & filios habuerit, liberi permanent.

† Omnia debita, quæ ad partem Regis solui debent, sol. XII. denariorum soluantur, excepto freda, quæ in lege Salicam conscripta est, illa eodem solido, quo illæ cæteræ compositiones solui debent, componantur.

\* Si quis causam iudicatam reperere in mallo præsumpserit, ibique testibus conuictus fuerit, aut XV. sol. compon. aut XV. ictus à Scabiniis, qui causam prius iudicauerint, accipiat.

\* Optimi quique in pago vel ciuitate in testimonium assumantur, & quibus is, contra quem testimoniari debent, nullum crimen possit indicere.

\* De causis ad monendis. \* De Ecclesiis emendandis & ubi in unum locum plures, quam necesse sit, ut destruantur.

\* Presbyteri non ordinentur priusquam examinentur, & ut excommunicatio passim & sine causa non fiat.

\* Ut missos nostros Scabinos, Aduocatos, Notarios per singula loca eligant, & eorum nomina, quando reuersi fuerint, secum scripta deferant.

\* De his, qui legem seruare contempserint, ut per fideiussores in præsentia Regis deducantur.

† Ut illi, qui haribannum soluere debent, coniectum faciant ad harribannuntorem.

\* De fugitiuis ac peregrinis, ut distringantur, ut scire possimus, si quis sunt aut vnde venerint.

\* De pauga & brunnia, ne dentur negotiatoribus.

\* De mensuris, ut secundum iussionem nostram æquales fiant.

\* Ut non mittantur testimonia super vestitura domini Pipini Regis.

\* Ut nec colonus nec fiscalinus possit alicubi traditiones facere \* si iudicatum fiat.

\* Ut nullus præsumat hominem in iudicium mittere sine causa, nisi iudicatum fiat.

\* Ut liber homo, qui in monasterio regulari comam deposuerit, & res suas ibidem delegauerit, promissionem factam firmiter teneat.

\* Ut omnia, quæ Wadiari debent iuxta quod in lege continetur; pleniter secundum ipsam legem reuadiata fiant, & postmodum vel Dominus Rex, vel cuius causa est, iuxta quod ei placuerit misericordiam faciat.

De Episcopis, Abbatibus, Comitibus, qui ad placitum nostrum non venerunt.

\* Ut nullus ebrius suam causam in mallo possit conquirere, nec testimonium dicere, nec placitum Comes habeat, nisi ieiunus.

\* Ut nemini liceat alium cogere ad bibendum.

\* De missis nostris discurrentibus, vel cæteris hominibus in utilitate nostra iter agentibus, ut nullus mansionem contradicere præsumat.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 29.

† abest.

† aut damnum.

† rei.

† Capit. K.

M. l. 3. c. 30.

† Salica.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 31.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 32.

\* perinet

fortè ad

Capit. K.

M. lib. 3. c.

45. aut. c. 89.

\* Capit. K.

M. appon-

dico prima.

ad 4. l. c. 28.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 192.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 33.

\* missi no-

stra.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 34.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 35.

\* harriban-

nantorem.

aut harribannatorè.

\* Capit. K.

M. append.

2. ad 4.

lib. 6. 4.

\* lb. c. 11.

\* lb. c. 12.

\* lb. c. 13.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 36.

\* Absunt

hæc verba]

in Capit.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 37.

\* Capit. K.

M. lib. 5. c.

143.

\* Capit. K.

M. append.

2. ad 4. l. c. 8.

\* Capit. K.

M. l. 3. c. 144.

\* Capit. K.

De M. l. 3. c. 39.

De canibus, qui in dextro armo tonsi sunt, vt homo, qui eum habuerit, cum ipso cane in praesentia Regis veniat.

Vt populus interrogetur, de capitulis, qua in lege nouiter addita sunt, & postquam omnes consenserint, subscriptiones & manufirmationes in ipsis capitulis faciant.

Vt nullus ad placitum banniat, nisi qui causam suam quaerit, aut si alteri quaerere debet, exceptis Scabinis VII, qui ad omnia placita praesse debent.

\* Capit. K.

M. 13. c. 41.

\* Capit. K.

M. 13. c. 42.

† Capit. K.

M. append.

2. ad 4. l. c.

9. c. 10.

† 1b. c. 11.

† 1b. c. 12.

† 1b. c. 13.

† 1b. c. 14.

\* De falsis testibus vt non recipiantur.

\* Vt nullus praesumat per vitam Regis & filiorum eius iurare.

† Vt Missi nostri, qui iam breues attulerunt de annunciatione, volumus, vt adhuc adducant de opere quantam moram faciant in vnoquoq; loco, & quot homines secum habeant.

† De prudentia & constantia Missorum nostrorum. † De falsis monetarijs requirendum est.

† De illis Saxonibus, qui vxores non habent. † De signatis, qui mentiendo vadunt. Homo denarialis non antea hereditare in sua cognatione potuerit, quam vsque in tertiam perueniat generationem, homo chartularius similiter, Homo Regis, id est, fiscalinus vel Ecclesiasticus, vel lidus interfectus C. solidis componatur. Si peccatis imminentibus contigerit, postquam puella aut mulier sponsata, fuerit leprosa, aut daemoniaca, aut de duobus oculis excaecata, tunc sponsus accipiat res suas, & non compellatur eam inuitus tollere ad vxorem, ne pro hac causa calumniatur, quia non suo neglectu, sed peccato imminente & aegritudine superueniente hoc est. Si dixerit sponsus de sponsa sua, quod postquam eam sponsatam habuit, adultera sit, liceat parentibus eam purificare cum XII. Sacramentalibus, sed postquam purificata fuerit, accipiat eam sponsus, & si neglexerit tunc ita purificatam tollere ad vxorem, si culpabilis sponsus dupla meta quantum dictum est in die illa, quando fabula firmata fuerat. Et si parentes, vt dictum est, de ipso crimine mundare non potuerint, tunc sponsus recipiat res suas, quas dedit, & illa patiatuor poenam adulterij, sicut in hoc edicto scriptum est. Si quis sponsauerit puellam liberam aut mulierem, & dilatauerit nuptias exequi, transactis duobus annis potestatem habeat pater aut frater aut qui mundum eius habet distringere fideiussorem, quatenus adimpleat meta illam, quam in die sponsalium promisit, postea liceat ei ipsam dare alii marito, libero tamen, & meta quae exacta fuerit, sit in potestate puellae aut mulieris, eod quod sponsus intra praefinitum tempus eam vxorem tollere neglexerit, † & si voluntarie dilatauit, excepta ineuitabili causa.

† c. se

De hac Synodo Salisburgen. Velfer. VI. Boicar. ad an. DCCCVII. ist hac refert:

m. Anno Octingentesimo septimo concilium Salisburgi XVII. Kal. Decembr. indictum. Affuere Arno Archiepiscopus, Atto Frisingensis, Adaluinus Reginoburgensis, Henricus Sabionensis Episcopi. de decumis & reliquo sacrorum iure disceptatum definitumq; esse, annotatum reperio, ipsis concilij actis nondum erutis.


n. Vide literas Iuuauensis Ecclesiae Archiepiscopi, & aliarum Ecclesiarum Episcoporum, ad Sum. Pont. quam sup. sub Theotmaro Archiepiscopo. (fol. 44.) reperies.

o. Cuius confirmationis tenor hic est.

p. **I**N nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis Ludouicus diuina fauente Clementia Rex. Nouerint omnes in Regno nostro circumquaq; fideles praesentes scilicet & futuri. Quia vir venerabilis Meginbertus Sabianensis Ecclesiae Episcopus,

pus, quæ est constructa in honore sancti Casiani Martyris nostram adiens clementiam, obtulit nobis quædam præcepta, in quibus continebatur, qualiter venerandæ memoriæ antecessores nostri Ludouicus Imperator, & æquiocus eius Ludouicus Rex proauus noster: Nec non etiam Arnolfus Imperator Genitor noster, prædictam sedem & Ecclesiam cum omnibus ad eam pertinentibus, propter malorum hominum tergiuersationes sub illorum defensione & emunitatis tuitione roborassent, petijtque nos per interuentum dilectorum nobis, Episcopi Adalberonis scilicet spiritualis Patris & Magistri nostri, ac Salomonis venerandi Ministerialis nostri, vt hoc ipsum ob mercedis nostræ augmentum efficeremus. Cuius petitioni prodiuini cultus amore & animæ nostræ absolute assensum præbentes, ita fieri in cunctis omnino concessimus, & statuta prædecessorum nostrorum firma esse decreuimus. Quapropter iubemus, vt prædictus Episcopus & Ecclesia, cui ille auctore Domino præest cum omnibus moderno tempore iuste & legaliter ad eam aspicientibus, hominibus videlicet & cæteris rebus, sub nostra defensione consistant. Et vt nullus Iudex publicus, vel quislibet ex iudiciaria potestate in Ecclesias aut loca, vel agros seu reliquas possessiones memoratæ sedis, quas nunc in quibuslibet pagis & territorijs infra ditionem Imperij nostri possidet, vel quæ deinceps in ius Ecclesiæ ipsius diuina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ iniuste distringendos, aut vllas redibitiones seu illicitas exactiones requirendas, vllō vnquam tempore ingredi audeat, velea, quæ supra memorata sunt penitus exigere præsumat. Sed liceat memorato Præsuli suisque successoribus res prædictæ Ecclesiæ cum omnibus ad eam pertinentibus sub emunitatis nostræ defensione, quieto ordine possidere, atque pro incolamitate nostra, nec non & stabilitate regni nostri, vna cum Clero & populo sibi subiecto Domini clementiam iugiter exorare. Addidimus etiam sine hoc nostri vigoris solidamento, vt si quislibet ausu nefario post statuta decessorum nostrorum ex rebus iam dictæ Ecclesiæ quicquam temere inuasisset, nullatenus exinde aliquid ulterius sibi vsurpare præsumat, sed eidem Ecclesiæ id ipsam in omnibus emendando restituat. Et vt hæc auctoritas, nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat incoluulsa manere, manu propria subter eam firmauimus, & annuli nostri impressione assignari iussimus.

Signum Domini Ludouici



Serenissimi Regis.

Salomon Cancellarius aduicem Pilegrini Archicapellani recognouit.

Data. 13. Kal. Feb. Anno ab Incarnatione Domini 909. Anno veropijssimi Regis Ludouicic nono. Indictione 12. Actum ad Holzchrib. In Dei nomine feliciter Amen.

*Non quo hic prætereuntem, quod R. P. Greiserus in Catalogo Episcoporum Eijsteten. sub Vdalfrido, seu Vlfride Episcopo IX, ( pag. 427. ) scribit. Aiunt Centuriatores, Arnulphum Bauariæ Ducem deliberationi Synodali præfuisse, & simul cum patribus decreta edidisse. Vnde hoc illis notum? Vnde pleraque alia, nempe ex proprij cerebri bibliotheca, vbi asseruant, & quando opus est, inspiciunt, optimæ notæ manuscriptos Codices, & ex illis Centurias suas farciunt.*

Rr

Inde



Inde tamen perspicuè colligo, Arnulphum nec Lutherano, nec Calviniano spiritu instinctum fuisse: nam prædia Ecclesiasticorum, quæ partim Vngari depopulati erant, partim alij occuparant Episcopis ac Monachis restituit. Quis Lutheranus aut Calvinianus hoc faceret? Templis & sacris ædibus reditus constituit, quibus reparari queant. Da mihi Lutheranum aut Calvinianum, cui sit eadem liberalitas & pietas? Frisingensi Episcopo, bona quæ abrepta fuerant, reddit. Orem miri, quin & inauditi in schola Lutherana & Calviniana exempli. Sectarij nostri non modò multa Episcoporum bona, sed & integros Episcopatus inuaserunt. Quis vel vnicam cogitatuunculam de restitutione suscipit?

*Vitam Sectarij, absq; consilio gens, & sine prudentia intelligerent hæc; & sapientio Et nouissima prouiderent.*

q. *Hanc Leonis P. P. VII. Epistolam, inseruimus sub Salisburgen. Episcopo Egilolpho. pag. 49.*

r. *Omniuo non est excludendus Richpertus, quem proximè subsequens Ottonis II. Diploma, Episcopum Brixinensem agnoscit.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuina fauente clementia Rex. Nouerint omnes in regno nostro circumquaque fide'es præsentis scilicet & futuri. Qualiter Venerabilis nomine Richpertus Brixinensis sanctæ Ecclesiæ Episcopus nostram adiens Clementiam, per interuentum Venerabilium virorum Dyerti Episcopi & Huotonis Comitis dilectique Magistri nostri precarus est, vt antiquam Capellâ, quâ olim antecessor noster beatæ memoriæ Ludouicus Imperator construxerat in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ & modo dilapsa est atq; destructa, & est sita in Ratispona ciuitate, & quam prius venerandæ memoriæ pius Genitor noster Otto Imperator Augustus reminiscens illius pristini seruitij præfato Episcopo vsque ad obitum vitæ ipsius in proprietatem donauerat. At Nos per dilectorum rationabilem virorum supplicationem, & ob illius promptissimi optimam obsequij voluntatem, eandem præfatam Capellam præscripto Episcopo vsque ad obitum vitæ ipsius in proprietatem donauimus cum curtibus & curtilibus, ædificiis, familijs, mancipijs vtriusque sexus, cum censibus, & decimis, syluis, faginationibus, quasitis & inquirendis & cum omnibus iustè legitimeque ad eandem Capellam pertinentibus. Vnde hoc præsens auctoritatis nostræ præceptum fieri mandauimus, firmiter præcipientes, vt ipsa donationis nostræ Capella integritè cum vicis & villulis proprietario iure sub potestate sæpediti absque vllius personæ retractione seu diminutione perpetuo consistat. Et vt hoc verius credatur, diligentiusque seruetur manu nostra propria id affirmauimus, & annuli nostri impressione subcus sigillari iussimus.

Signum Domini Ottonis magni



& inuicissimi Regis

Luidolfus Notarius ad vicem Wilhelmi Archicapellani notauit.

Data Idus Octobris Anno Domini 967. Indictione decima. Anno vero gloriosissimi Regis Ottonis septimo, Actum Brixina in Domino feliciter Amen.

Hart

*Hartvico Episcopo Brixinen. facta fuerunt donationes à Conrado secundo Imp. sub hoc tenore.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Chunradus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Iustis fidelium nostrorum petitionibus acquiescentes, si res Ecclesiasticas rebus nobis diuinitus concessis augere studemus, non solum inde temporalis commodi prosperitatem, verum etiam æternam sperare debemus remunerationem. Quapropter nouerit omnium Industria fidelium nostrorum tam præsentium quam futurorum; qualiter nos diuinam vt præmissum est remunerationem intuentes, nec non & dilectissimæ Coniugis nostræ Kiselæ, atq; nobilissimæ prolis nostræ Heinrici interuentionem gratissimè amplectentes fidelis nostri Hardvici Brixinensis videlicet Ecclesiæ Episcopi petitione pulsati, in proprium tradidimus eidem sanctæ Brixinensi Ecclesiæ in honore sanctorum Casiani Martyris, nec non & Ingenuini Confessoris constructæ Comitatum quondam VVelfoni commissum, ab eo scilicet termino, qui Tridentinum à Brixinensi diuidit Episcopatum, quousque longissimè porrigitur in valle Eniana cum Clausa sub Sabrone sita, & omni vsu iureque ad eum legaliter pertinente. Et vt hæc traditio firma inconvulsaque perpetualiter permaneat, præceptum hoc de ea conscribi, sigilloque nostro signari iussimus, propriaque manu, vt inferius videtur confirmauimus.

Signum Domini Chunradi Romanorum Imperatoris Augusti.



Vdalricus Cancellarius ad vicem Arbonis Archicapellani recognouit.

Data septimo Id. Iunij Anno Incarnationis dominicæ 1027. Indiçt. nona. Regni Chuonradi secundi Anno tertio, Imperij autem eius primo. Actum Stegon.

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Chuonradus diuina fauente clementia Rex, Romanorumq; Imperator Augustus. Ad præsentem prosperitatem & ad æternam spem sibi prospectum parat, quisquis Ecclesias Dei vel à fundamento locat, vel à peruersis dirutas redintegrandò locupletat. Quæ copia cum maximè Regibus, vel Imperatoribus præsto fuisset, ex quo Christianæ religioni colla subdiderunt. Pium ac rationabile nobis videtur, nil ab his deuiare, quibus credimus Antecessores nostros sibi æternam requiem promeruisse. Vnde Dei nostrorumque fidelium vniuersitati tam præsentibus quam posteris notum esse cupimus, qualiter dilectus noster Aribo Moguntinæ sedis venerabilis Archiepiscopus, & Bruno Augustensis Episcopus Celsitudinem nostram adierunt, humiliter obsecrantes; vt Clusas sitas in loco Sebona, in pago Orital in Comitatu Engelberti cum Thelonio & cum c. ni vtilitate, quæ vllò modo inde prouenire poterit ad Monasterium Sebona dicto in honore sanctæ Mariæ constructo, per nostrum Imperiale præceptum traderemus. Quorum petitioni pium sicut iustum erat assensum præbentes, ob interuentum dilectæ coniugis Gillæ Imperatricis Augustæ, & vnici filij nostri Heinrici Regis, nec non Adalberonis Karentani Ducis suprascriptas Clusas ad præfatum monasterium per hoc imperiale præceptum firmissime

R r 2.

tradi-

*in preced.  
Diplom.  
Kisela.*

tradidimus, ea vid. ratione, vt Hartvvicus eiusdem Ecclesiæ Episcopus suiq̄ue successores, liberam de hinc potestatem de eisdem Clusis habeant tradendi, vendendi, commutandi, vel quid sibi placuerit inde faciendi, ad vs̄um tamen præscripti monasterij. Et vt hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa omni tempore persueret, hanc chartam inde conscriptam, subtr̄sq; manu propria roboratam sigilli nostri inpressione iussimus insigniri.

Signum Chouardi inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.

Vdalricus Cancellarius ad vicem Aribonis Archicappellani recognouit.

Data octauo Kal. Maij, indiçtione vñdecima anno dominicæ incarnationis 1028. anno autem Domini Chouardi secundi, Regni quarto Imperij vero secundo. Actum Aquisgrani. In Domino feliciter Amen.

8. *Tale quid ex neutro Chouardi secundi diplomate iam inserto, ne suspicari quidem licet.*

*De Poppone, post Pontifice Maximo Damaso secundo dicto, longissime à Platina abijt*

u. *Ciaconius.* Damasus, inquit, II. iunior, Germanus, Bauarus, Popo Bagnariensis antea vocatus, Episcopus Brixinensis, & Patriarcha Aquilegien. homo ignobilis, vir alioqui ingeniosus, & negotiorum tractandorum dexter, Imp. Heinrico tertio Aug. sedit dies XXIII. consecratus & coronatus Romæ XVI. Kal. Aug. die dominico anno MXLVIII. Platina optimi Pontificis famam temere suis scriptis scedauit; Martinum & Gulfridum, non tutæ fidei auctores secutus &c. *Et paulò post:* Popo autem cum honestissimo Comitatu Romam peruenit, atque ab omnibus summo honore acceptus.

x. *Concessio Heinrici tertij sic habet.*

**I**N nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuina fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Notum sit omnibus Christi nostriq̄ue fidelibus, præsentibus scilicet & futuris. qualiter nos ob petitionem & deuotum seruitium nostri fidelis ac dilecti Brixinensis Ecclesiæ Episcopi Popponis Forestum in Pago Bustrissa, in comitatu Sigefridi Comitis situ., infra terminos, quos in præsentem nominamus de flumine quod dicitur Padia vs̄que ad flumen quod dicitur Schvartzzenbach. deinde vs̄que ad iuga Alpium vallis quæ dicitur Arina. & exinde quæ dicitur Wizzental, vs̄que ad flumen, quod Pirra vocatur. His omnibus, quos in præsentem conscribimus laudantibus, atq; voluntarie consentientibus cum banni nostri auctoritate distinximus ac firmauimus, vt nullus præter voluntatem præfati Episcopi in eo præsumat ceruos, aut apros, capreolos canibus venari, arcu sagittaq̄ue figere, plagis, laqueis, pedicis, seu quolibet venatoriæ artis ingenio capere vel decipere. Qui autem hoc Forestum fieri laudauerunt hi sunt Wecil, Adelram, Babo, Hezeman, Willehalm, Hildebolt, Sigehart, Beredolt, Alberich, Gerolt, Odalrich, Berhart, Ordo, Hartvvic, Rotheri, Ebbo, Billunch, Willehalm, Erkenger, Adelhart, Egizo, Deidera, Ebbo, Hartvvig, Luidolt, Rodeni, Benzelin, Amacho, Ebbo. Et vt hæc nostra auctoritas stabilis & inconuulsa omni permaneat æuo, hanc chartam propria manu corroborantes sigilli nostri inpressione iussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici tertij inuictissimi Romanorum Imperatoris Augusti.



Wintho.

R

Wintherius Cancellarius vice Bardus Archicancellarius recognoui.

Data VIII. Kal. Feb. An. dominicæ incarnationis M. XLVIII. Indictio-  
ne prima, Anno autem Domini Henrici tertij ordinationis eius XIX. regnan-  
tis quidem IX. Imperantis autem II. in Dei nomine. Actum Vimo feliciter  
Amen.

*Ciacon. in vita Damasi secundi expresse scribit, nullos eum creauisse Cardinales.*

*Pseudosynodo Brixinensi à Schismatico Henrico 4. prater ius fasq. coacta erecte oppo-  
nimum Synodum Romæ anno M. LXXX. à Papa Gregorio VII. legitime congregatam.  
cui Legati quoq. Principum Regni Teutonia, grauamina sua contra Henricum proponen-  
tes interfuerunt. Sed præstat. hac de re audire Paulum Bernriedensem in vita Gregorij  
VII. pag. 233.*

Anno ab incarnatione Domini M. LXXX. Pontificatus verò Domini Gre-  
gorij Papæ septimi anno VII. Indictione tertia celebravit ipse Papa Synodum  
Romæ, vbi interfuerunt Archiepiscopi, Episcopi diuersarum Vrbiũ, nec non  
& Abbatum, ac diuersorum Ordinum Clericorum, & Laicorum innumerabi-  
lis multitudo. Superuenerunt autem & Legati Rudolphi Regis, & Principum  
regni Teutonici, & huiusmodi querimoniam protulerunt super Tyrannidem  
Henrici: Nos ex legatione Domini nostri Regis Rudolphi, & Principum eius  
conquerimur Deo, & S. Petro, vestraq; paternitati, & cuncto huic sanctissimo  
Concilio, quod ille Henricus, quem vos Apostolica auctoritate depoluistis à  
regno, idiplum regnum contra vestram interdictum Tyrannicè inuasit, omnia  
circumquaq; ferro, præda, incendio deuastauit: Archiepiscopos, Episcopos de  
Episcopatibus suis impia crudelitate expulit, & eorum Episcopatus suis fautori-  
bus in beneficia distribuit. Per cuius etiam Tyrannidem piæ memoriæ We-  
rinarius Magdeburgensis Archiepiscopus occisus est: Adelbertus Wormaci-  
ensis Episcopus adhuc ab eo contra Sedis Apostolicæ præceptum in captione  
cruciat. Multa hominum millia eiusfactione sunt occisa; quam plures Ec-  
clesiæ, ablatis reliquiis, incensæ, ac penitus destructæ. Innumerabilia quidem  
facinora sunt, quæ idem Henricus in Principes nostros perpetravit, eò quod si-  
bi contra sedis Apostolicæ decretum vt regi, obedire noluerunt. & colloqui-  
um, quod vos pro inquirenda iustitia, & pace componenda decreuistis, ex cul-  
pa Henrici, & fautorum eius remansit. Quapropter vestram humiliter implora-  
mus clementiam, vt nobis, imò sanctæ DEI Ecclesiæ, decretam sacrilego per-  
uasori Ecclesiarum, iustitiam faciatis.

His & talibus excitatus viri Dei spiritus, sentiens & imminere diem, quem  
sibi in visione B. DEI GENITRIX ad proferendam damnationis sententiam in  
eundem aduersarium Ecclesiæ designauerat; & ne ultra differret, præcipiendo  
interminauerat, graui eam dolore & gemitu parturiuit, & auscultante atque  
aspirante Concilio tandem in hæc verba prorapit.

B. Petre, princeps Apostolorum, & tu B. Paule, Doctor gentium, dignamini  
quæso aures vestras ad me inclinare; meq; clementer exaudire; quia veritatis es-  
tis discipuli, & amatores; adiuuate, vt veritatem vobis dicam, omni remota falsi-  
tate, quæ omnino detestamini, vt fratres mei melius mihi acquiescant, & sciant  
& intelligant: quia ex vestra fiducia, post Dominum, & matrem eius semper vir-  
ginem MARIAM, prauis & iniquis resisto: vestris autem fidelibus auxilium præ-  
sto. Vos autem scitis, quia non libenter ad sacrum ordinem accessi & inuitis

a. Anno  
Christi M.  
XLVII est  
iste Grego-  
rius VI.  
b. Anno  
M. XLIX.  
Iul. 18.

Psalm. 2.

ultra montes cum Domino Papa Gregorio abij, sed magis inuitus cum Domino meo b Papa Leone ad vestram specialem Ecclesiam redij, in qua vtrunq; vobis deseruiui: deinde, valdè inuitus cum magno dolore, & gemitu, & planctu in throno vestro valdè indignus sum collocatus. Hæc ideo dico; quia ego non vos elegi; sed vos me elegistis, & grauissimum pondus vestræ Ecclesiæ super me posuistis. Et quia super montem excelsum me iussistis ascendere, & clamare, & annunciare populo Dei scelera eorum, & filijs Ecclesiæ peccata eorum, membra diaboli cæperunt contra me insurgere, & vsq; ad sanguinem præsumserunt in me manus suas iniicere. Astiterunt reges terræ, & Principes conuenerunt secularis & Ecclesiastici; aulici & vulgares conuenerunt in vnum aduersus Dñm, & aduersus vos Christos eius, dicentes: Dirumpamus vincula eorū, & proiciamus à nobis iugum ipsorum: Et, vt me omninò morte, vel exilio confunderent, multis modis conati sunt in me insurgere.

Inter quos specialiter Henricus, quem dicunt Regem, Henrici Imperatoris filius, contra vestrum calcaneum erexit Ecclesiam, facta cum multis Ultramontanis, & Italicis conspiratione, annitens me deiiciendo eam sibi subiugare. Cuius superbiæ vestra restitit auctoritas, eamq; vestra destruxit potestas: qui confusus, & humiliatus ad me in Longobardiam veniens, absolutionem ab excommunicatione quæsiuit. Quem ego videns humiliatum, multis ab eo promissionibus acceptis de vitæ suæ emendatione, solam ei communionem reddidi, non tamen in regno, à quo eum in Romana Synodo deposueram, instauroi, nec fidelitatem hominum, qui sibi iurauerant, vel erant iuraturi, à qua omnes absolui in eadem Synodo, vt sibi seruarietur, præcepi. Et hæc ideo detinui, vt inter eum, & Episcopos, vel Principes ultramontanos, qui ei causa iussionis vestræ Ecclesiæ resisterant, iustitiam facerem, vel pacem componerem, sicut ipse Henricus iuramento per duos Episcopos mihi promisit.

Prædicti autem Episcopi, & Principes Ultramontani audientes illum non seruare quod mihi promiserat, quasi desperati ab eo, sine meo consilio, vobis testibus, elegerunt sibi Rudolphum Ducem in Regem: qui Rex Rudolphus festinanter ad me missò nuncio, indicauit se coactum regni gubernacula suscepisse, tamen se paratum mihi omnibus modis obedire. Et vt hoc verius credatur, semper ex eo tempore eundem sermonem mihi misit: adiiciens etiam filio suo obfide, & fidelis sui Bertholdi filio, quod promittebat, firmare.

Interea Henricus cæpit me precari, vt illum contra prædictum Rudolphum adiuuarem. Cui respondi, me libenter facere, audita vtriusq; partis ratione, vt scirem, cui iustitia magis faueret. Ille autem putans suis viribus eum posse deuincere, meam contempsit responsonem. Postquam autem pensit se non posse, sicut sperauit, agere, duo Episcopi, Virdunensis videlicet, & a Osenburgensis de consentaneis suis Romam venerunt, & in Synodo ex parte Henrici, me, vt ei iustitiã facerẽ, rogauerunt, quod & nuncij Rudolphi fieri laudauerunt.

Tandem aspirante Deo, sicut credo, statui in eadem Synodo, in partibus Ultramontanis fieri colloquium, vt illic aut pax statueretur, aut cui plus iustitia faueret, cognosceretur. Ego enim, sicut vos mihi testes estis, Patres, & Domini mei, vsq; hodie nullam partem disposui adiuuare, nisi eam, cui plus iustitia faueret. Et quia putabam, quod iniustior pars colloquium nollet fieri, vbi iustitia suum locum seruaret, excommunicauit, & anathemati alligauit omnes personas siue Regis, siue Ducis, aut Episcopi, aut alicuius hominis, qui colloquium aliquo ingenio impediret, vt non fieret. Prædictus autem Henricus cum suis fautoribus non timens periculum inobedienciæ, quod est scelus idololatriæ, colloquium impediendo, excommunicationem incurrit, & se ipsum anathematis vinculo

a Osen-  
burgensis.

culo alligauit, magnamq; multitudinem Christianorum morti tradidit, & Ecclesias fecit dissipari; & totum penè Teuconicorum regnum desolationi dedit.

Quapropter confidens de iudicio, & misericordia DEI, eiusq; pijsimæ matris semper Virginis MARIÆ, fultus vestra auctoritate prædictum Henricum, quem dicunt regem, omnesq; fautores eius excommunicationi subijcio, & anathematis vinculo alligo, & iterum regnum Teuconicorum & Italiæ, ex parte omnipotentis DEI, & vestra; interdicens ei, omnem dignitatem, & potestatem regiam illi tollo, & vt nullus ei Christianus sicut regi obediat, interdico, omnesq; qui ei iurauerunt, vel iurabunt de regni dominatione, à iuramenti promissione absoluo. Ipse autem Henricus cum suis fautoribus in omni congressione belli nullas vires, nullamq; in vita sua victoriam obtineat.

Vt autem Rudolphus regnum Teuconicorum regat, & defendat, quem Teutonici elegerunt sibi in regem ad vestram fidelitatem, ex vestra parte, dono, largior & concedo, omnibusq; sibi fideliter adhærentibus absolutionem omnium peccatorum veram benedictionem in hac vita, & in futura, vestra fretus fiducia, largior. Sicut enim Henricus pro sua superbia, & inobedientia, & falsitate à regni dignitate iuste abiicitur; ira Rudolpho pro sua humilitate, obedientia, veritate potestas & dignitas regni conceditur.

Agite nunc quæso Patres, & Principes sanctissimi, vt omnis mundus intelligat, & cognoscat; quia, si potestis in cælo ligare, & soluere; potestis in terra imperia, regna, ducatus, principatus, marchias, comitatus, & omnium hominum possessiones pro meritis tollere vnicuiq; & concedere. Vos enim Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus frequenter tulistis prauis, & indignis, & religiosis viris dedistis. Si enim spiritualia iudicatis: quid de secularibus vos posse credendum est? Addiscant nunc Reges, & omnes seculi Principes, quanti vos estis, quid potestis, & timeant parui pendere iussionem Ecclesiæ vestræ, & in prædicto Henrico tam citò iudicium vestrum exercete, vt omnes sciant, quia non fortuito, sed vestra potestate cadet, & confundetur, vtinam ad penitentiam, vt spiritus sit saluus in die domini. Acta Romæ nonis Martij, Indictione III.

Igitur Satanae traditus infelix Henricus, rabidoq; dæmonum furore magis ac magis ad summum iniquitatis conscendit, & legitimum Papam destituere cupiens, auream statuam Simoniacis, & Nicolaitis in Romana ciuitate, quam Babylonem Petrus & Ioannes appellant, nouus Nabuchodonosor erexit, Guilbertum scilicet Rauennatem Episcopum, iam pridem à Gregorio nostro propter incestum, & alia flagitia sua Synodali sententia damnatum. Proinde grauissima persecutione contra virum DEI commota, Salernum recessit, ibique supremæ medicationis absinthio per corporales ægrotudines efficacissimè purgatus, diuinæ consolationis dulci responso meruit exhilarari, videlicet purgationes istas ei in perpetuum proficere, & sufficere, nec eum vllam castigationem oportere post obitum timere.

Denique in signum sempiternæ sospitatis temporalem incolumitatem recepit: & quod valde gloriosum videri potest, circa Kalen. Ianuarij prænosse cepit dissolutionem corporis sui futuram circa Kal. Iunij. Quibus cum appropinquasset, & vltimi doloris luctam inchoasset, astantibus ei Episcopis & Cardinalibus, eumque pro laboribus sanctæ conuersationis, & doctrinæ beatificanti-  
bus, respondit; Ego fratres mei dilectissimi nullos labores meos alicuius momenti facio; in hoc vno solummodo confidens, quod semper dilexi iustitiam, ego  
deplorarent, eleuatis, pius pater, in cælum oculis, & eodem porrectis, instar  
ascen-

Vos hanc  
vri  
tandem  
euentus  
desinit

1. Cor. 1.

1. Petri. 5.

Guilbertus  
Antipapa.

Gregorius  
ex Vrbe Sa-  
lernū abiit.

Præsit  
Gregorius  
mortē suā.

Prælerum  
Gregorij  
responsum.

ascensionis, palmis, illuc inquit, ascendam & obnixis precibus Deo propitio, vos committam.

*Non abs re videtur hoc loco per compendium inferere, quae de S. Hartmanno nostro R. P. Raderus eius Deo breui iuxta alios Bavaria sanctos fisorum oratione in lucem publicam dabit.*

S. Hartmannus haud procul Batauis Boiorum, fortunâ uti non summa, ita nec infima, honestis maioribus natus, in S. Nicolai cœnobio extra Batauorum pomerium, quod S. Augustini Canonici inhabitant, admodum puer literas cum pietate tam avidè hausit, ut intra paucos annos plurimum promoueret. Euocatus à Iuuuensi Pontifice Conrado è domicilio S. Nicolai, sacro sacerdotum collegio Salisburgi ad S. Augustini normam efformandis, decurio praeficitur, quod mores eius essent legis loco, non longè post iubetur Chiemensis Ecclesiae praefecturam suscipere. Deinde D. Leopoldus à memorato iam Pontifice Conrado Hartmannum diu expetitur impetrat, qui in claustrum Neoburgò, per D. Leopoldum condito, tam virorum quam sacrarum virginum tutelam suscipit, magnumq; operæ pretium ibi fecit. Non destituere vitæ sanctitatem miraculorum opera, è quibus vnum alterumq; Lector cape. Intentus quadam die inter domesticos lectioni sacrae, repente exiliens ad ardes alibi sitas properauit, & quosdam è cœnobio suo negotia illic curantes ingenti clamore euocatos, propere se inde extemplo iussit. Vix illi pedem extulerant, cum tota moles cœnobii euaserunt nauis, qui scopulo haud procul cœnobio adhæserant, huiusmodi in exitium nauigium trahente.

Interim Reinbertus Brixinensis antistes vita cedit, cui Hartmannus sufficitur, ubi primò statim anno Reinbertum nobilem dynastum & copiosum induxit ut communicato cum coniuge sua nobili Boia consilio, noua Cellæ contubernium S. Augustini sodalibus, non sine cœlesti prodigio poneret. Hartmannus iam praesul in cultu, victu, officiis aulicis, consuetam iam ante, semper tenuit. Iuicq; frugalitatem & parsimoniam; ita ut inspecti illius quotidiana viuendi ratione monachum crederes, non Episcopum aut Principem. Cœlestium rerum contemplationi totus deditus, rei familiaris totius procuracione Conrado à sacris administro commisit, viro fido, probò & religioso, è Pollingano asceterio socio laborum adscito. Quotiescunq; verò rei publicae usus & amittenda dotis Ecclesiasticae periculum imminebat, quod per se Conradus auertere non poterat, Hartmannus non copijs militaribus, sed sacra mystarum acie cinctus, praelato victricis signo crucis prodicens cunctos aduersarios à temerarijs suis ausibus auertit, resq; Ecclesiae suae saluas & immunes obtinuit. Miracula complura & prodigia sanctitatis illius testes irretragabiles, ante etiam quam corpore solueretur edidit. (*quae pleraque R. P. Raderus copiosa narratione persequitur*) breuitatis studio nobis heic pratereunda. Proprie tandem Christi natalis diei, cum diuinus Pontifex sacerdoti labes vitæ & peccata aperuisset, & accepta de more poenitentia, sacris summa religione operatus esset, solum abluendo corpori intrans, praeter omnium spem & expectationem in eo lustratus quâ corpori quâ animo purus, ad solum cœlestem emigravit, Cal. Ianuar. post Christum N. MCLXV.

*Concessio Friderici II. cuius hic fit mentio, est talis:*

**bb.** Fridericus secundus Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus, & Rex Siciliae. Regalis Excellentiae decet dignitatem, & per hoc laudis titulus merito sublimatur, cum fidelium & subiectorum suorum deuotionem attendit, & eorum seruitia dignis retributionibus recompensat. Attendentes igitur tam

nam deuota quam fidelia, quæ nobis dilectus fidelis & Princeps noster Berchtoldus Electus Brixinensis & nostris progenitoribus obsequia exhibere semper curauit, & in posterum de bono in melius poterit exhibere. Volentes ipsius seruitijs respondere pro meritis, de innata nobis liberalitatis gratia sibi suisque successoribus in Ecclesia Brixinensi concedimus & donamus in perpetuum omnes argenti fodinas, omnesque venas metallorum & salis, quæ in suo sunt Episcopatu & de cætero possunt reperiri cum omnibus iustitiis & pertinentijs suis possidendas & tenendas. Ad huius autem nostræ concessionis memoriam & perpetuam firmitatem præsentis paginæ scriptum nostri Sigilli munimine fecimus communiri, statuentes & sub interminatione gratiæ nostræ præcipientes, ne aliqua vnquam persona humilis vel alta hanc nostræ concessionis gratiam aliquòmodo audeat vel debeat infringere seu attemperare. Quicumque autem huius nostræ concessionis & donationis statutum & paginam infringere vel aliquo tempore attemperare præsumpserit, nouerit se Maiestatis nostræ offensam grauius incurrisse. Testes huius rei sunt: Fridericus Episcopus Tridentinus, Ludouicus Dux Bauariæ. Hermannus Marchio de Baden. Comes Eberhardus de Helfenstein. Comes Egno de Vrach. Henricus & Albertus fratres de Niffen. Albero & Berchtoldus fratres de Wange. Anshalmus de Iustingein Imperialis aulae Marschalcus. Eberhardus Dapifer de Tanne. Dieto Camerarius de Rauensberg. Iacko de Trivvenshem. Actum est hoc anno Dominicæ Incarnationis. 1218. Datum apud Nürenberg quarto Kal. Ianuarij. Indictione sexta.

*Corrigendus est hic numerus ex his quæ habentur supra de Eberhardo II. Archiep. cc. Salzb. pag. 13. & rescribendus annus 1232. vel circ.*

Episcopo Ioanni Thomæ 5. die Maij Anno 1580. Coadiutor datus est dd.  
 R<sup>mus</sup> & Ill<sup>mus</sup> Dn. Cardinalis Andreas Austriae: qua occasione quatuor dominia in valle Pustrißa sita, Michælsburg, Vrenheim, Schönegg, & Heinfels à Serenissimo Archiduce Austriae Ferdinando, Comite Tyrolis &c. Cardinalis parente, pignoris loco cum omni illorum iurisdictione, iuribus & redditibus tradita & concessa fuere. Obiit Episcopus Iohannes Thomas Brixinæ Anno 1591. die 26. mensis Februarij, qui optimè suæ Ecclesiæ commodum procurauit: reditus auxit, & castrum in monte Velturns principe dignum funditus extruxit & absoluit: ibidem quasi in medio Cathedralis Ecclesiæ sub monumento marmoreo reconditus iacet.

Successit Illustrissimus & Reuerendissimus Dominus ANDREAS Cardinalis Austriae iam antea Coadiutor postulatus; Episcopus Constantiensis & Administrator Monasteriorum Murbach & Luders: dein Gubernator Philippi II. Hispaniarum Regis in Belgicis prouincijs constitutus. Inde vota sua exsolutus Romam profectus est, ubi in brachijs summi & opt. Pontificis Clementis VIII die 12. Nouembris An. 1600. vltimum vitæ suæ diem clausit. Inuigilauit hic Princeps, omnemque operam dedit, vt Ecclesiæ suæ Brixinensissumma iura, vt vocant, Imperialia regalia conseruaret & exerceret. Aram templi Cathedralis summam, cui effigies sua insita est, excellenti pictura expeditam auroq; decoratam erexit. Castrum residentiae Episcopalis ex parte à fundamentis forma ac dispositione apta, & amplissimis porticibus construxit; huicq; desponsæ sibi Ecclesiæ aliquot florentiorum millia extremo suo elegio reliquit; quæ exsoluta ad eiusdem fabricæ castri continuationem impensa fuerunt.

Excepit defunctum Cardinalem R<sup>mus</sup> & Ill<sup>mus</sup> Dn. CHRISTOPHORVS ANDREAS, ex liberis Baronibus de Spaur & Valer Tyrolensibus natus; frater  
germa,



germanus prædefuncti Episcopi Ioannis Thomæ : quondam Decanus Brixinensis, & per totos annos viginti octo dignissimus Episcopus Gurcen. septimo die Februarij An. 1601. Episcopus Brixinen. postulatus. Hic Monasterium pro religiosi Patribus Cappucinis D. Francisci ab integro edificauit: elemosynas pauperibus plurimas elargitus est: alumnos pro studijs ad sacros ordines promouendos instituit: & Ecclesiæ Romanæ ritum ac caerimonias ibidem obseruandas introduxit. Synodum quoq; diocesanam An. 1603. celebravit, quam typis edidit. Alteram ruinofam turrim summo templo contiguâ multis impensis restaurauit. Tandem cum vitam pietate & castitate prouecta ætate compleffet, obiit Brixinæ dicima die Ianuarij An. C. 1613. iuxta fratrem Episcopum sub marmore simili sepultus. Post cuius mortem cum Canonici Brixinenses in electione noui Episcopi dissentirent, & in paria vota inciderent: nec heis repetitis pluralitas eueniret, in successorem vnanimi consensu postulant Serenissimum & Reueren. Archiducem CAROLVM Austria, Episcopum Wratislauien. 3. die Martij eodem anno 1613. qui postmodum electus supremi Magistratus Ordinis Teutonici Administrator, 26. die mensis Decemb. An. 1618. Halæ in valle Oeni in templo regio Visitationi Beatif. Virgini Mariæ sacro, cruce insignitus, & gladio accinctus est.

*Catalogus Præpositorum Cathedralis Ecclesiæ Brixinen. quorum quidem nomina hæcenus ad nos peruenerunt: incendio enim binis vicibus exorta multa monumenta vetera interierunt.*

- I. Dn. NICOLAUS Præpositus, an. 1219.
- II. Dn. WINTHERVS de Neuburg, an. 1221.
- III. Dn. WALTHERVS de Argentina, an. 1430.
- IV. Dn. ANDREAS Conradi qui & Decanus Brixinen. an. 1443.
- V. Dn. IACOBVS, an. 1447.
- VI. Dn. GOTSCHALCVS Lauri, an. 1460.
- VII. Dn. WOLFGANGVS Neidlinger, an. 1481.
- VIII. Dn. ANTONIVS Paungartner, V. I. D. an. 1492.
- IX. Dn. IOANNES Greitner V. I. D. an. 1494.
- X. Dn. SEBASTIANVS Sprenz an. 1513. postea Episcopus Brixinensis.
- XI. Dn. AMBROSIVS Iphofer, V. I. D. an. 1525.
- XII. Dn. GREGORIVS Angerer, Episcopus nouæ ciuitatis, qui & Decanus Brixinen. an. 1530.
- XIII. Dn. IOANN Thomas Baro à Spaur & Valer, postea Episcopus Brixinen. an. 1549.
- XIV. Dn. LEOPOLDVS à Trautmansdorf, an. 1570. qui & Decanus Brixinen.
- XV. Dn. DAVID à Spaur, an. 1588.
- XVI. Dn. PARIS Comes Lodroni an. 1600.
- XVII. Dn. SIMON Feurftain SS. Theol. D. Episcopus Bellinen. Suffraganeus & Præpositus Brixinen. an. 1601.

*DECANI Brixinen.*

- I. Dn. SAXO
- II. Dn. IOANNES de Nouacella
- III. Dn. FRIDERICVS de Wangen, an. 1214. postea Episcopus Tridentinus.
- IV. Dn. HENRICVS à Sabiona, an. 1238.
- V. Dn. CONRADVS Reschön. an. 1267.
- VI. Dn. MARQVARDVS, an. 1281.

VII. Dn

- VII. Dn. LANFRANCVS Comes à Sulzbach, an. 1292.  
 VIII. Dn. IOANNES de Sengen, an. 1305.  
 IX. Dn. NICOLAUS de Vnderburg, an. 1328.  
 X. Dn. HENRICVS Comes de Eppan, an. 1356.  
 XI. Dn. IOANNES de Kiens, an. 1379.  
 XII. Dn. SEBASTIANVS Stempl, an. 1409, postea Episcopus Brixinen.  
 XIII. Dn. NICOLAUS Schvvarat, an. 1430.  
 XIV. Dn. CONRADVS de Marrai, an. 1437.  
 XV. Dn. ANDREAS Conradi, qui & Præpositus Brixinen. an. 1443.  
 XVI. Dn. ANDREAS à Villanders, an. 1452.  
 XVII. Dn. BENEDICTVS Fieger, V. I. D. an. 1484.  
 XVIII. Dn. WOLFGANGVS de Rorbach, an. 1511.  
 XIX. Dn. IOANNES Riepper, V. I. D. an. 1526.  
 XX. Dn. CHRISTOPHORVS à lauffenburg postmodum Episcopus Brixinen. an.  
 1536.  
 XXI. Dn. GREGORIUS Angeter DD. Doctor, Episcopus Nouæ ciuitatis, qui &  
 Præpositus Brixinen. an. 1540.  
 XXII. Dn. IOANNES Iacobus Kuen à Belasi, postea Archiepiscopus Salzburg,  
 anno 1556.  
 XXIII. Dn. LEOPOLDVS à Trautmansdorff, qui etiam Præpositus fuit, an. 1668.  
 XXIV. Dn. CHRISTOPHORVS Andreas Baro à Spaur an. 1570, postea Episcopus  
 Gurcen. & Brixinen.  
 XXV. Dn. MICHAEL Baro à Wolckenstain, an. 1575.  
 XXVI. Dn. ERNESTVS Baro à Wolckenstain, an. 1587.  
 XXVII. Dn. ALEXANDER Fabri V. I. D. an. 1601.  
 XXVIII. Dn. HIERONIMVS Otho Agricola, V. I. D. an. 1613.